IANI THESEI CASOPERI PSYCHRONÆI EPISTOLARVM LIBRI DVO.

M. D. XXXV.

Alouisij Iustiniani Patricij Veneti Canonici Patauini Carmen Ad Ianum Theseū Casoperū Psychroneum.

Casopere ostendit primos tua Musa labores,
Nunc quibus associat lingua soluta suos.
Hic bonus ancipitis reddor sat pectoris, vtrū
Orator fueris siue Poeta magis:
Cernimus. at merito laurū tibi carmīa vates.
Ornatos tribuit lingua diserta locos.

IANVS THESEVS CASOPERVS PSYCHR. ILLVSTRI ATQVE HEROICÆ INDOLIS PVERO ANDREÆ CARRAFÆ ILLVSTRISS. PRIN CIPIS GALEOTI SANCTÆ SEVERINÆ COMITIS FILIO FELICITATEM.

QVm pauculæ familiares epistolæ nostræ amicissimorum rogatu, nō enim scripsi vt ederentur, essent publicum accepturæ Andrea puer inclyte, consentaneum officio meo esse duxi, nomini tuo dedicare, nam qui bona fide patrem colit, obseruet & filium necesse est. Tu pro ingenita benignitate animo æquiore suscipito, illasq; per sucassiuas horas qum contigerit non dare operam præceptori, perlegere non dedigneris. Inuenies iudicio meo multa, quæ instituere, & ad capessenda auita atq; paterna inclyta decora poterunt ætatē istam plurimum excitare. Inuenies itidem aliqua quæ laxiore licentia, & plerunq; loco, vtpote familiariter inter amicos scripta, calamū temperatiorē fortasse tibi videbuntur exigere. Illa si placet, conniuentibus oculis pertransito. Sed certe non est, quod magnopere possit offendere. Postremo id vnum curabis omnino, vt ex earum lectione melior euadas. meq; & dilige, & foue, Illustrissimisq; parentibus ac fratribus pro comitate tua sedulo cōmēdato. & beneuale perpetuo. Patauij Quarto Calend. Septēb. M. D. XXXV.

IANI THESEI CASOPERI PSYCHRONÆI EPISTOLARVM LIBER PRIMVS.

IANVS THESEVS CASOPERVS NICOLAO SALERNO PRÆCEPTORI BENEAGERE.

QVM Tritam illam Platonicam sententiam præceptor primæ classis tempestate nostra literatorum omnium princeps memoriæ credidissem. Non solum nobis natos esse, sed ortus nostri partem sibi patriã vendicare. Semper ex quo me ipsum noscere cępi, pro viribus cõtendi, Patriæ potissimum vsui consulere. Quam ob rem id muneris obiui, te hortari, tibiq; persuadere tandem. Vt humanitatis studia publico stipendio apud nostrates profiteri velis. a quibus iãpridem tantopere es exoptatus. Quod si feceris, præterreo conterraneos auditores, academiam vndiq; confluentium discipulorum exterorum cętu refertissimã habebis, & absit inuidia verbis, quod olim Crotone fuit famosissimum gymnasium Pythagoræ Samij auditorio longe frequentiori quantum conijcere valeo, superabis. Quandoquidem cęteris totius magnæ græciæ tacentibus professoribus, ad te vnicum tanq; ad copiosissimum atq; huberrimum scientiarum fontem sitibundi scholastici cursitabunt. & vt id negocij solicitarem, prouinciam mihi commisit Ioannes Matthęus lucifer Crotoniatarum antistes Cęsarei & Pontificij Iuris doctor, ardore accensus abs te audire biennũ

ltem & gręcę & latinę autores literaturę. Nepotulum etiā
iæ satisfideli doctrinæ perpetuo subdet, mancipabitq́. Te
gitur etiam atq́ etiam rogo, & (quia fas est) exoro per be-
ueuolentiam atq́ obseruantiā qua te semper complexus sum,
complectarq́. vt tui studiosorum desiderio geras morem.
præsertim qum Antistitē (vt probe scio) singulari tibi bene-
ficio sis exinde deuincturus. Vale feliciter præceptor, meq́
(vti consueuisti) ama qui si non fuisses (vt de Chrisippo di-
cere solebat Carneades) ego non essem. proptereaq́ tibi de-
beo quantum gratissimus discipulus pręceptori optimo debet
Casuboni. V. Idus Decembris. M. D. XXVI.

Ianus Theseus Casoperus Nicolao Salerno
Præceptori S. P. D.

PAucis ante diebus ad me præceptor humanissime datæ
sunt literæ tuæ. ex quibus nonnihil eruditionis accepi.
siquidem allucinationis inuolucro, quod animum diutissime
torsit, enucleate & luculenter explicato, quod tibi suggesserat
doctrina dorica mihi breuibus aperuisti. dolor nihilominus
me inuasit officiosus q́ honestissimam profitendi cōditiomem
repudiasti. Sed in causa fuisse conijcio meditationem assiduā,
ac continentem. etenim ociaris rarissime, & laboribus litera-
rijs & quidem serijs insudando, iacturam temporis ægrefers,
aliosq́ tuis vestigijs insistentes grauissimam esse docuisti. quod
cunctis profecto mirum uideri potest, nam & Romanæ &
gręcę scientię perfectionem solidam nactus. qui locus quieti
tibi esse debet, posteritati tamen consulere dies noctesq́ co-
naris. ex quo mihi cęterisq́; literarum studiosis spem maximā
attulisti. Stude igitur obsecro, vt fęturę saltem istæ tuæ tan-

topere ab omnibus expectatę fauente bono Genio hilaritatis Deo publico donentur. nam & nomini tuo gloriam, amantissimis que tui gaudium mirificum comparaueris. Addo etiam quod virginis filius perturbato (si fas est credere) animo patitur, dum vulnera quæ in patibulo victor acceperat tandiu sinis delitescere. Vnum tibi significo ingentissimo me videndi tui ardore flagrare, & qum adesset diuæ Magdalenę nundinalis dies, quod me istuc opportunius conferre potuissem. a genitore impetrare nequiui, vt tanquam bonus paterfamilias domesticos lares ipse coleret, mihi vero gerendorum negociorum gratia Cosentiam venire liceret, quod sane nullam aliam ob caussam faciebam, nisi vt te præceptor obseruande conuenirem, salutaremque. sed si ex animi sententia succedere non potuit, voluntatis sedulitas cōsideranda est. Vale prçceptor optime, quem obseruo, & colo, non secus atque pythagorici illi doctorem Samium obseruare, & colere consueuerūt. Psychro XIIII. Calendas Augusti. M. D. XXVI.

Ianus Theseus Casoperus Alouisio
Alemano suo S. D.

VBi vltro citroque literis datis nō modicam amicitia nostra suscepit accessionem. quo in dies augeretur, tecum per literas quam sæpissime colloqui destinaueram. Sed tuæ mehercules senectutis rationem habens, quæ literarum crebritate molestanda mihi non videbatur, instituto supersedi. Verum simul atque hodie me Bernardinus Ciuis tuus & affinis admonuit, nostras te literulas expectare, extemporariam epistolam hāc exaraui. polliceorque operā me pro virili parte nauaturum, vt transacti temporis iactura strenua post hac

scribēdi nauitate sardatur. Doleo desidiam in scribendo meā identidem te vellicare per decem circiter elapsos menses ne tantillum quidem literarum mea℞ ad te peruenisse. quod (vt verum fatear) ęgerrime fero. etenim optime norunt omnes quibus cum vel modicum familiaritatis iniuerim, q̄ꝑ literis in mittendis sim diligentissimus, nullamq; vnq̄ꝑ occasionem omiserim cū amicis absentibus aut ioco aut serio colloqui. Idcirco qum me immerito ignauię nomine incusari conspiciam, dabo operam vt senecta ętas tua, quæ antehac a scribendo me deterruit multiiugarum satietate literarum afficiatur. Id totum facile patiaris oportet, nisi contentissima vociferatione Theseum tuum Cœlum terramq́; miscere malueris. & id te minime prętereat velim, si a scribendo interdum me feriatum esse cognoueris, nullum argumētum sane mihi fuisse reliquū, quod tanto viro dignum existimaretur. nulla tamē scribēdi diutina cessatio a tui me obseruatione vel modicum amouebit. siquidē prius pariet locusta (vt aiunt) Lucam bouem q̄ꝑ vlla temporis intercapedine mirificus amor erga te meus obliuionis obliteretur iniuria. præterea amicitiæ iudicio meo est frigidiusculæ, ac parum per se consistentis literarum adminicula desiderare. Etenim quæ animo insedit altius, penetrauitq; pręcordia tanq̄ꝑ valide innixa non quęrit epistolarum fulturas. absq; Cachinno vix dici potest Alemane quanta voluptatis suauitate demulcear, qum nostras summo affectu te literas expectare, qumq; me meaq; quanti facias, mihi subit recordatio. quod plane a beneuolentia in me tua, & non ab eruditione nostra quæ nulla est, vel pusilla certe proficiscitur. enitar tamen vigilanter ad amicorum expectationem, & meo℞ q̄ꝑ proxime decus accedere. Tuoq́; (vti scripsisti) præsagio satis a me fuisse factum ostendere. turpe enim esse duco Adua

lescenti præsertim primario bonarumque literarum candidato spem quam sui commouit, non posse defendere. Vale, & Nicolao Salerno præceptori meo qui istic profitendo moratur, dic a me Salutē. Psychro Quinto Nonas Aprilis Anno salutis humanę. M. D. XXXVIII.

Ianus Theseus Casoperus Marco antonio magno suo. S. P. D.

DVm munitissimo clausus Castello tenereris, fuit spes omnis ad te literas dandi prærepta. proinde metuens tibi, ad Triarios enim (vti prouerbio dicitur) parthenopei summa Regni pene deuenerat, satis anxio cruciatu macerabar, nescius quorsum certamen conflictusque, quem istic fore omnes existimabant, casurus esset. Sed postquam inimicorum res deposita, desperataque, ac prope occasa cępit conclamari, animus respirauit, ęgritudinisque nube discussa, quibus voluptatem explicem mirificam verba non habeo. etenim e castello te incolumem egressum Mineruali veste deposita, thorace scorteo munito pectore, lateri accincto ense, lęua clypeū agitante, dextra pilum intorquente magnanimum & robore plenum agere militem audiui, quod antea (fateor) addubitaueram, qum te Apollinis, Musarūque & fortasse etiam Veneris militem fortissimum cognouissem, Martia in militia non ita posse existimabam. Sed stratagemata plane omnia callere, teque non minus toga paceque quam sago & armis idoneum demonstrasti, operamque nauasti, vt qum necessitas exegerit prelium inire, manusque conserere, quæ de Achille cecinit Homerus a te modis omnibus debeam expectare. Quam ob rem non solum te disertum eloquētemque oratorem, ingeniosissimumque poetam,

sed strenuũ etiã bellatorem posthac appellabo. quod & laudi & decori esse tibi haud dubie poterit, qum Socratẽ & Xenophontem rebus bellicis sese immiscuisse scriptum reperiamus. Ciues mei omnes paucis dũtaxat exceptis præ gaudio citra cruorẽ quæsitę victorię maximo opere gestiunt: & celebrant epinicia vrbs vndiq; luminibus lucet adeo, vt incendi videatur. multaq; fiunt passim ad lętitiam ostendendam. Dij deę q; omnes (vt Plautinis dixerim verbis) optimates medioxumi & minuti patellarijq; inuictissimo Carolo Cęsari & principi nostro Galeoto, quẽ ore & corde gero bene semper consultũ velint. Vale Phsycro. XIIII. Calendas Augusti. Quingentesimo Vigesimo octauo supra millesimum.

Ianus Theseus Casoperus Marco Antonio magno suo bene valere.

Elapsis diebus vna cũ epistola te nostros hendecasyllabos accepisse certo scio, mirarer equidem mihi non significauisse, quid tibi visum fuerit, vtrum petitioni satisfacere promittas, nec ne: nisi te obeundis negocijs grandioribus arctissime districtum cognouissem. enimuero si lapides non locutus sum, verbaq; mea (loquar cum Plauto) cerebrum non excusserũt, successiuis horis dabitur ocium, quo laconismo tuo me certiorem facere poteris. Non peto, vt amicitiam tuã incõmodo tuo demonstres mihi aliquando profuisse, siquidem nõ mihi diligeris, vt conferas beneficia, vt foueas iuuesq; munificentia, non enim expetenda est amicitia amplectendaq; rerũ ob indigentiam, sed eruditione allectus morumq; suauitate te amandum esse censui, obseruandumq; ad te pertinebit ostendere tui studiosos affectos munere, nõ auro tamen, nõ argento,

non domeſticæ reliqua ſupellectili, ſed quod ſi in alium collo ces, penes te remaneat, habeaſq; vt cęteros etiam demerearis, nullamq; exinde iacturam facias, tibiq; non noceas tandem, alteri proſis. Rem habes, indulſiſti mihi lepidiſſime Magne, ita Deus tibi ſemper dexter adſit, obſecundetq;. atq; in horas res tuas bene fortunet, ita vt in longe ſublimius dignitatis faſtigium euadas, meq; auctiori tunc muneres benignitate. Interea qum copias in vrbem quę deſciuit ſis propediem (vt audio) traducturus, faxit Chriſtus Ieſus opt. max. vt ſi dimicandum erit, nullo noſtrorum cruore victoriā parias, ſi vero non confligetur, rebellium animos perditorum eloquio nectareo mollias, contundaſq;, ita vt Princeps ad Cęlos vſq; te prę conio ferat, durorum ſubditorum pertinaciam orationis tantummodo vi profligauiſſe, proindeq; tibi ſit perpetuo debiturus. Vale. Pſychro. XIII. Calendas Nouembres.
D. XXVIII. Supra M.

Ianus Theſeus Caſoperus Marco Antonio magno ſuo. S. P. D.

QVm hinc abires vna cū principe noſtras te literulas deſiderare monſtraſti. Itaq; vt his ſæpiſſime te impertirem, a me cōtendiſti, tuamq; longam reddendi mihi vicem ceſſationem verbis plurimis excuſaſti, & quāuis vere cauſatus ſis, nouerimq; tibi conſtare rationem, inuitus nihilominus dedi veniam, literaſq; identidem ſtipulanti promiſi. Promiſſis igitur quodamtenus manens, ne vanus mendaxq; di iudicer, & ne ex ſtipulatu actione conueniar, ex tempore epi ſtolam hanc exaraui, qum tabellaritus petaſatus & ille quidē literas flagitaret, vtq; tuę huberius faciam ſatis voluntati, di-

ligentius posthac insudabo nostrarum pene pluuia literula-
rum tibi lassitudinem parere, fastidiumq́, faciamq́, vt episto-
larum libellus Casoperi ad Magnū posteris relinquatur, quo
vltro citroq́ beneuolentiam non mediocrem proles futurorū
hominum possit agnoscere, quę non ex comessationibus, non
ex alea nō ex alia demū aliqua minus decora re profecta est.
sed e re literaria honestissimum certe sumpsit exordium, co-
aluitq́. ideoq́ in spem venio religiosius ad ętatis vsq́ senectę
supremum diem constantissime perduraturam, & licet (vt
inquiunt) multas amicitias silentium diremerit, nulla tamen
ipse loci intercapedine, nulla turbulentissimi tēporis procella,
nulla dandi literas cessatione adduci potero, vt tui vel pauxil-
lulum obliuiscerer, vt te vel maxime nō obseruarem quē tanti
facio, quanti fortasse rarissimorum neminem amicorum, non
quia (vt aiunt) habeas vnde excoquas seuum senex, sed quia
acerrimo ingenio peculiari quodam genuinoq; lepore, comi-
tateq;, politicis moribus, bonisq; literis, & (quod abunde pul-
chrum est interq; immortalium Deorū munera numerandum
arbitror) singulari corporis dignitate decoraris. ego te gran
diorem natu obseruo, quia omnium splendore virtutum ful-
gentissimus, nulla turpitudine nullaq; vitiorum labecula de-
honestatus, virum agis vndiq; candidissimum. Tu vero me
exoscularis, & amas existimatione fortasse ductus eruditionis
nostrę, morumq; ingenuorū. idcirco mutuo beneuolentię nexu
copulamur, eoq; nos inuicem amore complectimur vt inter
duos illos pythagoreos nō extitisse synceriorem asseuerarem,
contenderemq;. Ipse (vt de me referam) ero in ea sententia
semper, vt pro te pulchrum arbitrer, in magnam descendere
vitę dimicationem, fac periculum obsero, hilari fronte, alacri
animo per tela per ignes itare paratum offendes, nec vnq̄ ve-

lim hęc te fallat opoinio. Gaudeo vehementer (quod pretiosissimum diuitiarum genus apud Seuerinum appellat philosophia) amicum inuenisse, non vulgaris auctoritatis, sedquē omnes vnicę diligunt, suspiciunt, & venerantur, quem principes quibus maxima pars orbis famulatur, habere domi cuperent, in cuius consilio niterentur, ęuumq; agerent securum, atq; omni perturbatione remotum, Ego hercle fortunatissimū dico principem nostrum, non tam profecto tot vrbium dominationem, quam sibi te fatorum benignitatem indulsisse. lętitia afficior ingenti ope atq; opera tua rei cupitę potitum fuisse. itaq; mirificas tibi gratias ago. Valetudinem prosperam cura vigilanter, meq; (vti cępisti) mutuo dilige, principiq; cōmendare nō grauate feras, quumq; tibi ocium erit a rebus arduis, ab administratione seria conde aliquid amabo Phœbo dignum, ne meditandi commentandiq; cessatione ingenij acies ęrugine situq; obducatur. Psychro. XVI. Calendas Decembrias. M. D. XXVIII.

Ianus Theseus Casoperus Marco Antonio magno felicitatem.

ARgumentum mihi datur inpręsentiarum scribendi nullum, nisi tantum diris deuotionibus rebellibus istis deditionem facere morantibus male precari. qui vt ad me laconice scriberes sunt in causa. non moleste tamen fero, qum te rei bellicae noscerem occupatum. Nefarij igitur impudenter desipiētes ad vnum omnes crebris icti fulminibus obruātur, dispereantq;. & vrbs ista quae obsidione tenetur, nouis colonis habitanda linquatur. Ita vt Princeps vtiliorum fortasse subditorum accessione faciat lucri. Tu vero mi Magne dum

castra colis, militiaeq; Martiae munere fungeris, cupidineae su-
persedeto, ne victricum homicidam in priuignum irrites, eūq;
proteruię petulantięq; probro impediat, qum suis artibus ipse
sibi subtrahereris: Interea valetudini indulge, meq; vt amas,
ama Psychro. X. Calendas Decēbris. M. D. XXVIII.

Ianus Theseus Casoperus Marco Antonio
magno suo gaudere.

NIsi suum tabellarius celerauisset regressum, ad princi-
pem quadringentos circiter hexametros misissem, mate-
riem fouentes hercle non floccipendendam. gratissimum tamē
feceris humanissime Magne, si me admonueris, an rē sibi fore
gratā existimes? si inter arma carminibus interpelletur. Ipse
etenim priusq̄ tui voti ero scius, nihil audebo, measq; lucubra
tiunculas in scrinio latere patiar. Vale, Psychro. V. Nonas
Decembres. M. D. XXVIII.

Ianus Theseus Casoperus Marco Antonio
Magno suo. S. D.

QVm inter sanguineas cędes belliq; tumultus Mune-
ra pieridum posse iuuare putes. epistolam cū Se-
nariolis ad principem mitto, nec me porro latebat, tibi musarū
sacerdoti literas literatas callenti vel qum saeuit Mars carmi
na placitura. etenim carmen amat (Inquit Claudianus) quis
quis carmine digna gerit. Tuae igitur voluntati vtiq; morem
esse gerendum arbitror. Tabellarius iussu meo tibi primum
senariolos offeret, vt tuis mox e manibus nostras sit princeps
lucubratiunculas accepturus, qui si diligentiori opera indi-

gere videbuntur in scriniolo multa claue munito habere curato, & ne furto subtrahat Homeromastix aliquis lynceis oculis obseruato, atq; ad me quamprimũ redeãt recognoscendi, asperioriq; lima cruciandi. Si vero probaueris. in lucem edas, exhibeasq;. velisq; eos principem nomine meo donare, memnerisq; idonea tempora legere. & si istic vitiligator quispiam fortasse miles insipiensq; armis nihil nõ arrogans inuenietur, qui voluntatem suam in literarum studiosos minime syncerã virulenta lingua patefaciet, candide faueas, sisq; patronus, vt adminiculo tuo prophanum illiteratorum vulgus nequaquam sit pertimescendum, meq; principi stude diligentius commendare, quod te dubio procul egisse cognoscam, si me vt cunq; respiciet, diligetq;. & vale mi Magne, ego autem ægre affectus beneualere qui possum? Licet libetq; apud amicum optimum nudare præcordia. Nunquam profecto quam in præsentiarum tam pessime actum est mecum, cuius medullę acerrimo malo torquẽtur, eodemq; tempore igni vror, & algore conficior. Nosti. Consule quæso ne Theseo tuo sit vlterius lachrymandum, & mala nostra ridere caueto, ne & ipse ludum ludens grauissimum, opem aliquando medicam implorare cogaris, teq; sero incipiat pœnitere, alienam illusisse calamitatem. Iterum vale, & salue. Psychro Quinto Idus Decembris.

M. D. XXVIII.

Ianus Theseus Casoperus Lodouico Angeriano Iurisconsulto. S. P. D.

ORe multorum acceperam iuris esse imperatorij Pontificijq; tibi summam scientiam, ac prope mirandam singularemq; memoriam, morumq; integerrimam sanctitudinẽ.

cęterũ postq̃ vna verba fecimus, plus profecto q̃ ferebatur, inueni, perspicacissimum scilicet ingenium, familiæ tuæ (vt audio dicere) peculiare, peneq́; hæreditariũ. Isocraticam sermonis suauitatem, & quod æuo nostro iurisconsultorum aut nemini, aut certe q̃ paucissimis contigit candidam literaturam, eruditioneḿq; minime triuialem: ita vt parentis tui multinominis legumdoctoris germaniq́; poetæ cũ ingeniosissimi tum sapientissimi glorię q̃ optime consensisse videaris, nihilq́; fecisse reliqui, vt ad eorũ archetypum exemplarq́; te omnino non effinxisses. Ex quibus nõ modo diligere sed summo te studio amare destinaui. Quumq́; mihi sit amicorũ pene mille opera literia quæsitorum, te quoq́; in mansuetissimarũ colloquio Musarum mihi nuper conciliatum (nisi amicitiæ nostræ pęnitebit) inter primarios habebo, pręcipuosq́;, erisq́; mihi in Magnum, cuius desiderio vehementer teneor, ac prope desipio. Res est creditu difficillima, quantum viri charissimi absentia nostrum animũ perturbauerit. Istic esse vel inuitus mihi persuadebo, anxietatibusq; vndiq; scaturientibus leuamentum inueniam, si scientia & eloquentia sui similem ad quẽ dem literas, nactus fuero. Mortaliũ alij (quod te nequaq̃ fugit) honoribus inhiant, plæriq́; omnes diuitijs accumulandis. Ipse autẽ amicos parare non in lupanari non in poculis vbi vt plurimũ cęcutiunt oculi, rectiq́; nihil pensi habetur, sed sobrio in studio miti summa ope consueui. nihil enim esse vitæ hominum tã vtile tam honestum, tam deniq́; necessarium existimo, q̃ habere qui cũ fideliter consilia possis cõmunicare. Amicitia quo te verteris (inquit Cicero) præsto est, in calamitate solatium, in successu ornamentum. Ea propter te mirum in modum rogo, ne per te stet pulcherrimum inter nos necessitatis glutinum coalescere. Si repulsus abibo, nihil moror. At qui te post

modum fortasse pudebit pigebitq́ue, iuuenis Hercule non igno bilis, neq; omnino absurdi beneuolentiam satis audacule repu diasse. Vale, Psychro. xiiij. Calendas Martias. M.D. xxix.

Ianus Theseus Casoperus Lodouico Angeriano iurisconsulto hilaritatem.

AMicitiam meam comiter accepisse, meq; praesentem quam humaniter habuisse tibi gratias ago, officio tu quidē non defuisti tuo, qum literatos modestia morum facilitasq́; modis omnibus sequatur, necesse sit. eosq; qui inferiores despiciunt, aut omnino non didicisse arbitror, aut modicum profecisse. Tu vero quāuis aequi atq; iniqui scientiā calleas, proptereaq́; recte administrandę reipublicę tibi munus demandatum sit, oratoremq; agas, non disertum modo, sed eloquentem, Ciceroniano quinimo Christiano praecepto cęteris te summissiius geris, & cum Plinio iuniore omnes qui aliquid in studijs faciunt venerari etiam mirariq; soles. siquidem est vt inquit ille res difficilis, ardua, fastidiosa, & quae eos a quibus contemnitur, inuicem contemnat. equidem in nullo vnq̄ qui cū sermonem habuisse meminerim tantam ingenij vim, tantam disciplinarum congeriem animaduerti. sed ne blandiri tibi videar, quod meis moribus non conuenit, de legū doctoribus loquor, quorum si aetate nostra quotusquisq; grammaticus dici potest, tu hercle literatus multiscius vocari debes merito. Quamobrem te laudo, & admiror, speroq; beneuolentiam nostram qua penes me nihil charius est, nihil sanctius, nisi plane me fallit diuinatio, religiosiori posthac auctum iri necessitudine, hubenioremq; facturam accessionem. Interea vale, & Salue. Psychro. VI. Nonas Martij. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Lodouico Angeriano iurisconsulto, S. D.

BInas ad te antehac misi literas, ipse vero, nec vnas quidem vel laconicas accipere potui. Quocirca facere nequeo, quin desidiam torporemque scribendi tuũ reprehendam, incessamq; quippe qui opportunitatem omittendo, plus nimio taciturnitatem fouisti, egistiq; Harpocratem. Causaberis fortasse, morẽ esse iurisprudentium literas exarandi studium valere longum iubere, atque a se abdicare, praecipueque iustitię pręsidium qui ius suũ vnicuique tribuentes id genus meditationes, vel neglexerunt omnino, vel dedidicerunt. decereque eos plebiscita, senatusconsulta, principum placita prętorum edicta, responsa prudentum aequa lance perpẽdere, quam bona tempora literas scriptitando conterere. Indulserint alij. Ipse autẽ tuae nunquam excusationi fauebo, suffragaborque. Teque ex integro vel negligẽtissimũ appellabo. Succensuistin? Iniuria hercle. Nosti etenim (vt plane compertum habeo) praeter cęterorum legum doctorum morẽ epistolas scribere nõ inelegantes, & a dicundo iure temporis tibi nonmodicũ superest. ita vt expectationi meę citra tuũ alienũque incõmodũ abunde possis obsecundare. ego nihilominus incępto non desistam, sed vtcunque sit, summã in te obseruantiã literis in dies manifestabo, nullaq; profecto ingratitudo animũ a te meũ vel digitũ transuersum (vt inquiunt) vel vnguem latũ alienabit. sciasque consuetudine tua qua nihil euenerat mihi mellitius, adeo demulsum fuisse, vt cõueniendi tui tecũq; sermonẽ conserendi cupidine vehementi exardeã. Si reum crimine legis Cornelię de falsis pręstita locupleti saltem cautione e carcere tam tetro liberaueris, mihi gratissimũ facies. Bene vale Psychro. iiij. Idus Martias. M. D. xxix.

Ianus Theseus Casoperus Marco Antonio magno gaudere.

TVus hinc discessus aliquot mihi dies maxime fuit ægritudini, nec vllum sane prius solatium cepissem nisi fuisset auditum te in Hispaniam proficiscendi omisso consilio Neapoli remansisse. Id vere vel mendacio nunciatum fuerit, hactenus incertus sum pro isto tamen nuncio euangelium comiter sum pollicitus. Tu rei totius me per epistolam commoneto. vt si depositum munus intelligam, quam primum te videre confidam, proptereaq; gaudeam vehementer. Sin ad Sacratissimum Cæsarem (sicut erat institutum) accessurum accipiam, deos precer, quo faustissimum sit iter, & nobis incolumis restitutus in patriam ocyssime reuertaris. valetudini sedulo inserui, nam si bene habebis, mecum longe erit profecto melius, validiusq. Psychro. XV. Lucæ Martij. M.D.XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Lodouico Angeriano Iurisconsulto. S. D.

NOlim ciuium vlterius meorum te ridere segnitiem, vt appellas, imbelliamq. qum non modo non aufugerint, vt opinaris, sed ne aufugere quidem tentauerint. ecquid tam indecens pristinæ nostræ fortitudini potuisset accidere, quam si vel perniciosissimis hostibus ingruentibus aliquãdo cessissemus? quãdo et priuati & publici cõmodi decorisq gratia opulentiam oẽm ipsam deniq animã pro stercore semper habuimus. Tu autem (vt audio) desiuisti nunquam, nos identidem pauidos interdũ meticulosos appellare, quod militũ hospitum amicorum vtpote venenatos aspidum morsus formidauimus. pero

peram mediusfidius Angeriane sentis de animoso pariter & strenuo populo, qui non timuit profecto, sed timere simulauit. Sed ecce iuxta sententiam tuam absq; mendacio timuisse concedo, totum id idcirco peractum est, quia cum socijs erat satis temere depugnandum, quos si gens nostra fudisset, victoria non ideo potiretur, & quod prædæ gloriæ & saluti legitimis hostibus esse consueuit, id inopiæ sibi vituperatiom & morti fore videbat, qum crimine maiestatis læsę in eam deinde animaduerteretur, proptereaq; maleficij illaudati pœna sæuissima puniretur. Sed da cum hostibus confligere stupebis nostram in certando nauitatem, acrimoniáq;. Experti sunt certe quotannisq; experiuntur pyratę Turcę non sine eorum gemitu. Tu demceps obsecro a subsannatione discede, daq; operam vt palinodiam canens nostræ strenuitatis auctoritas conseruetur. In mentem pene non venerat æquo etiam te modestius incusare, qui mulierculas nostrates gutturosas nominitare non erubuisti, qum id hercle vitium aut nulli aut omnino paucissimis hic acciderit. Quinimo si e vulgaribus aliquam deformiorem aspiceres, vrereris intime, iureiurandoq; affirmares Faustinā illam pulchritudine insignem Helenenq; Europæ Asiæq; funesti belli causam minime fuisse venustiores. Parat igitur tibi Deorum quispiam, quem muliebris forma delectat, quippe qui illas immerito tam acerrimo conuicio affecisti, quas grandiori certe tibi beneficio deuinxisses, si vel somniculosas, vel vinolentas, vel rei culinariæ supramodum deditas, aut in lanificio rudes, aut impudentes, aut amatorculorum postremo studiosas (abfuisset modo deformitatis vocabulum) appellauisses. Vale, & aduentum huc tuū a me vehementer expectari certo scias. Psychro X. Lucæ Aprilis. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Lodouico Angeriano iurisconsulto. S. D.

SCriberem ad te nonnulla epistola certe digna, sed recens dolor quem immaturus obitus duorum e familia mea charissimorum attulit, silentio praeterire cogit. Voluo mecum mortalitatis casus. Voluo inquam quam varia quam inconstans quam fragilis sit humana conditio. Audi quaeso. Iuuenis sane officiosus vndetriginta circiter annorum diutina aegrotatione confectus, deponitur, moritur, conclamatur, curatur pompa funebris, effertur, fiunt exequie, Terrae denique redditur validissima coniunctorum omnium ęgritudine, iustis interfuit pater, nec grandi plane aetate confectus, nec inter Iuuenes numerandus, ita vt in alterutram aetatis conditionem adiudicari debeat, incertus sim. in neutram certe. Sed vtcunque, morbo non laborabat. & (quod ex ore ipsius gloriantis saepius audiuisse recordor) in valetudinem aut semel in vita, aut bis ad summũ inciderat. Hic reuersus domum ex moerore acerbissimo, filium enim quem superstitem esse sibi lege naturae decebat, Praepostero turbatoq; ordine sepeliri viderat, aegrotationem praesentaneam contraxit, lectulum petijt, ibique tris post dies ab exitu filij luctuosum spiritum exhalauit. Habes Tragoediam meorum infortunio. Horum vicem quam grauissime patior, moereo, Animi angor, lugeo, ac pene morior. quidni? Homo toties moritur (inquit Publius mimographus) quoties amittit suos. Adhibe oro fomenta consolatoria, quo ex parte aliqua tantus dolor sopiatur, atque lentescat. Tuis etenim prudentissimis consilijs, monitisq; obtemperare conabor, languidiusque dolebo, fietque remedium plaga fortius, atq; validius. quod dubio procul sic fore confido. Siquidem noui eloquen-

ciam tuam cum sapientia copulatam, cui a me propterea ingens habebitur auctoritas. De negocio quid euenerit, ignoro. & nisi literis tuis certior fiam, ignorabo. Illud tamen accipis, omnino me hic horas non absumere. In vtram partem vertor, rebus meis commode consulitur. Tu rem gere arbitrio tuo, quatinus promisi semel, quo pacto honeste possim recusare non video. Vale. Psychro. III. Idus Maias. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Petro phanetę suo beneesse.

NVlla antehac ad te literas dandi oblata fuit opportunitas, Siquidem postquam fortuna egerat tecum tam incōmode, colloquendi adeundique potestas omnis auferebatur, in præsentiarum qum ad aures meas deuenisset, te Sanctæ Seuerinæ pacatis rebus moram trahere, ad te scribere destinaui, vt acciperes Theseum tui rerūque tuarum minime fuisse oblitum. Dolui equidem iacturam tot bonorum modesto liberalique labore quæsitorum, præsertim qum ingenium tuum a crimine, cuius arcessebaris, alienum prorsus intelligerem. Verumtamen vbi patria tua pessimo infortunio dijs cum immortalibus bellum gessit. Itaque contagionis morbo teterrimo laborauit, in diesque laborat, quicquid acciderit aduersi, in lucro tibi deputaui. Siquidem extra repertus tam diram perniciosamq; luem euitauisti, quod Dei propitio numine euenisse dubio procul affirmo, Integritatem enim animi tui inspexerat. & quia fato opinor erat omnino constitutum, vt asperitatem aliquam hac tempestate tam procellosa qua vel principes ingemiscunt, sentires, exterorum damno commodorum

& non clade aliqua multatus es. Proinde tenuius malum (si modo orbari ex parte fortunis malum sit appellandum) ęquo tibi animo compositoq; ferendum & hortor, & moneo. quum quicquid corrigere est nefas, habendum sit lenius, pacatiusq;. Memnerisq; humanæ sortis fragilitatem casibus omnibus, omnibusq; obnoxiam calamitatibus. Si diuitias amisisti, supersunt amici, quorum studio præsidioq; poteris huberius fortasse locupletari. Superest ingenium (vt probe scio) sagacissimum, dexterrimumq;, ita vt cumulatissimam supellectilem in posterum parandi tibi sit minime despe randum. Superest Virginia coniux, cuius modestiam, pudicitiam, sanctitudinem, elegantiam, in obeundis peragendisq; negocijs domesticis strenuitatem, vigilantiamq; opulentiæ hercle omni esse arbitror anteferendam. Longiore epistola vterer, nisi superuacanea pene nossem tarda solatia, mea tamen interfuit, amicum non posthabendum literis saltem cõplecti, quando corporum præsentia denegetur. Vale, & rarissimę vxori filiolisq; atq; in primis Leonardo indolis eximię puero nomine meo salutem plenissimam imperti. Psychro. VI. Idus Iunij. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Carolo bonaiuto Salutem.

EPistola certe complecti nequeo, quam me consuetudinis tuę suauitas oblectauerit, iuuerit. In mentem veniunt lepidissima verba non insipidis condita scommatibus, non odiosam acrimoniam redolentia. Longior erat apud te Sermo de Venere, & Cupidine. Nemo est adeo contracta fronte, qui si tecum paulisper colloquatur, rugas omnis non sit dissolu-

turus. Moribus tamen (vt & tu ipse ingenue fateris) verba non discrepant. nec ab ingenio abhorret oratio, partes amatorias sermone defendis, & te sollertiorem fideliorem fortunatiorem deniq; re ipsa cupidinis assectam inuenire profecto difficillimum esset. Id tamen iudicio meo verti tibi vitio nequaquam debet, etenim fit adeo modeste, vt minime transeat in lasciuiam. Ita caute, vt omnis fere lateat oculatissimos. Nec te (quemadmodum tempestatis nostræ quamplurimi) nec rem familiarem is perditum. Et (quod mirabile dictu est) Citra infamiam genium curas, Veneriq; inseruis. Adde quod ea ætas est tibi, vt adhuc etiam aptus idoneusq; ad amandum & sis, & conspiciaris. Perge igitur qua perrexisti, & dum ætatis viridioris beneficio frui potes, lude, ama. Id enim grandi æuo parum licebit. Qum muliercularum tollere crura & pudebit, & vires deficient. Rem gratam feceris, si Angeriano, & Phanetæ quem videre quam validissime desidero, amo etenim eum non vulgariter, necnon hospiti Genuano iuueni splendido, lepidoq; ex me Salutem dixeris. Bene vale vna cum vxore optima, totaq; progenie, meq; ama. Psychro. XI. Luce Iunij. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Carolo Casopero. Salutem dicit.

POstquam Crotoniensis Antistes in Calabriam aduentauit, teq; preter opinionem Neapoli remansisse cognoui, dolui equidem vehementer, timens ne tibi aliquid accidisset aduersi, ita vt amicissimo tutissimoq; homini te Comitem adhibere nequiueris. Nocte intempesta cubitum accedenti, quæ per diem trepido animo occurrerant, reddidit emerita Son-

tica luce quies. Tristis nuncius istinc videbatur afferri. Carolum scilicet ab infantia literarum citra ignauiam temporisque iacturam, studiosissimum Neapoli animam efflauisse. His auditis, te clam esse minime profecto debet, qua statim fuerim ægritudine affectus, quos gemitus emiserim, quantum lachrymarum vim fuderim. Hoc nihilominus libere fatebor, multo languidius vigilans doluissem. Nescio enim quo modo per quietem abundantiore fletu, & duriore merore conficimur. Summo mane e lectulo surgens Deum precatus sum, vt talia deprecetur. vtque porta eburnea missum futile somnium rei ipsius apparitione notescat, & qum oniropolis coniectoribusque detulissem, nescio quid ineptiarum immurmurauerũt. Tua intererit, si sanus es, modis omnibus valetudinem prosperam obseruare, ne vel leuiculo in posterũ morbo corripiare, si vero (quod auertant superi) ægrotatione laboras, efficacibus atque valentibus insignium medicorum fomẽtis sanitatem pristinam adipisci, deinde iocari, ludere, genio indulgere. Huiusce rei te admonitum velim, reuersionem tuam ab amicis omnibus mirum in modum multis de causis expectari. Accinge te igitur itineri quamprimum literas nostras acceperis, atque ad nos omni conatu quamcitissime aduola, inuenies lętos, qum te incolumem aspexerimus, inuenies subtristes obitu duorum gentilium, quorum amissionẽ omnes sane quam molestissime tulimus. Vale, Psychro. VII. Calend. Iulias. M.D.XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Iano Sarconi Iurisconsulto. S. D.

SVccænserem tibi, nisi amicitiam ad iucunditatem potius repertam scirem, quam ad reprehensionem, quippe qui qum

illic essem, vnaq; dormitum iremus, me non admonere curasti, cutem tuam asperrimis scabiei pustulis molestari. Etenim seorsum dormiens tam graue malum haud dubie euitauissem, quod me diu noctuq; pessime habet, continuaq; exulceratione prurienti sollicitat, extimulatq;. Autumo equidem id propterea egisse, vt quia veteri more aliqua in hospitem omnino xeniola aut apophoreta collaturus fueras, id munus elargireris, quod penes donatarium cottidianam continentemq; hospitis memoriam teneret, ac conseruaret. Ago gratias tam liberali iuueni munificoq;, qui mactans infortunio beneficium collocare videtur. Cuperem nihilominus reddere vicem, ne ingratitudinis (quod vitium vtpote deterrimum ab optimo quoq; & pellendum arbitror, & vindicandum) accusarer. Tu igitur valetudinem tuam, præsertim calido dum latrat Sirius astro, cura sedulo, & parcius moderatiusq; pragmaticis sanctionibus insudato, ne satie fortassis affectus periculosam contrahas ægrotationem. Siquidem id temporis ludo, lauto & opiparo conuiuio saliariq; necnon tempestiua transeundum est Venere. Qum æstate satis superq; addiscamus, si beneualere concessum sit. Succumbat interdum voluptati recta ratio, atq; adulescentiæ nonnihil aliquando tribuatur. Igitur hortatu monituq; meo potes iurisconsultos istos tuos alliquantisper ociari sinere, reiq; ludicræ concedere, ac tandem Dionysio parentare. Id si facies, meoq; diligentissime consilio moremgeres, diuersum Hercule, atq; a tuo alienum a me suscipies munus, munus plane voluptarium, geniale, atq; cuilibet iuueni tum nobili, tum erudito præter cætera expetendum, quodq; celeberrimam gloriam laboribus atq; industriæ tuæ sit in posterum pariturum. & Vale, patriq; tuo Thomsio iu-

reconsulto certe optimo nec non nostris omnibus nomine meo Salutem cumulatissimam impertito. Psychro .VI. Nonas Iulij. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Nicolao
Salerno Praeceptori.
S. P. D.

BEneuolentiae erga te meae minime conuenire videretur, si quid mecum agatur, te tandem non admonerem. Et quid tecum scire non desiderarem. Ego nulla domesticorum negociorum administratione districtus, ociosam aetatem dego, non tamen id a me intelligi ocium existimes velim, quod somno & crapulę dediti amplectuntur, sed quod a literatis viris sapientiaeque studiosis toti voluptati, totique praelatum fuit occupationi. Itaque studeo. Sed fortassis interrogabis, cuius autoris potissime voluminibus versandis vacem? Non te fugiat, ęstiuis solibus hacque praesertim autumnali tempestate, qua facillime morbescimus, morimurque Plautina Apuleianaque Lectione animum oblectare. Nonnunque si me alienorum scriptorum ceperit satietas (vsu enim euenit vt etiam iucunda fastidium interdum afferant, nisi alterna viscissitudine necessario varientur) nonnihil nugarum ludo, meque mutatione tempestiua iuuari cognosco. Hactenus meis de rebus. Tuum erit, vtrum scholasticis edocendis (quae partes tuae sunt) operam impendis, necne? me certiorem facere. Id si intellexero, nonnullos adulescentulos conterraneos qui te iampridem audire vehementer optauerunt, recta via hortabor ad te Cosentiam veniant. Psychro. X. Luce Septembris. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Iacobo Casopero rectam corporis valetudinem, animiq; serenitatem.

ISthinc discedens conuenimus si recte memoria tenes, vt vltro citroq; literę mitterentur, quibus vtriusq; nostrum actiones continerentur. Ne vanus igitur ipse diiudicer, per epistolam tibi significo, q̃ primum huc me contuli, plærisq; coram ciuibus nobilioribus illis quidẽ, atq; Angeriano pulpitum iustitiæ præsidum ascendisse, atq; ibi felici sane euentu vna cum lectione orationem habuisse. Cuius aspiciendę tibi facerem potestatem, nisi longa itineris intercapedine seiungeremur. Id fuit estq; hodie horum omnium precipueq; Angeriani de me laudum pręconium, vt bonum animum fecerint, in dies concionandi, legendi. Hęc scripsi, vt intelligeres, me non ignobilem hic agere professorem, & si quid decoris gessi, abundantiori gloria atq; celebritate cumulauisse. Commendabas Encomio memini singulari vrbis huius nobilitatem sed longe huberiora q̃ quæ loquebaris, inueni. optimates mirifico me certe studio diligunt, obseruantq;, ipsiq; disciplinarum rude donati visunt cottidie, salutant, & colloquuntur, asseruntq; iureiurando præsentia famam minime diminuisse. Hactenus mihi sunt ad triginta discipuli, sed peracta vindemia, qua plęriq; ritu Calabro Scholastici occupantur, auditum venient complures, fietq; gymnasium celebratius. mea nihilominus parum refert, quando (sicuti nosti) merces annua mihi dependitur. optimę valetudini inserui, & literas tuas q̃ expectatissimas ad me dato frequenter. Ex quibus primum accipiam, te vxorem accepisse, pudicitiæ gloria & venustatis insignem, quæ cum Sulpitia illa maximam habeat

morum affinitatem, cuius fęcũditate familia nostra nouę prolis accessione possit augeri. Iterum vale, & amicis omnibus dic a me Salutem. Sanctæ Seuerinæ Pridie Nonas Octobris. M. D. xxix.

Ianus Theseus Casoperus Carolo Casopero. S. D.

AGnationis nostrę vinculum exigit, tecum meis de rebus epistolicum sermonem habere. Etenim pręter te vnum atq; ad summum alterum ad quem dem literas, literatum isthic habeo neminem. præsertim qum ea inuicem sanguinis necessitudine coniungamur, vt dubio procul arcana omnia remotioresq; animi motus vtrinq; conferri queant, atq; communicari. Non te lateat igitur, auditorium esse mihi frequentissimum. Discipulorum in horas adeo crebris quæstionibus argumentisq; fatigor, vt vehementi affectus lassitudine, patiar erumnas ipsi vel Herculi non contemnendas, quibus exantlandis constantissime vires intendo, ita vt me imbecillę alioquin habitudinis adulescentem fortissimum debeas pariter & robustissimum iuuenem appellare. Quippe qui tanta susceptum munus exequor strenuitate, vt vel minimi cuiusq; inuigilans institutioni, nemini desim, omnibus faciam satis, nihilq; prætercam quod quispiam iure mecum possit expostulare. Additur his laboribus visendę patrię desiderium non mediocre. qua nihil hercule Hominum animis antiquius natura conciliauit. Cuius tanta vis est (autore Cicerone) vt Ithacam illam in asperrimus saxulis tanq; nidulum affixam Sapientissimus Vlysses immortalitati anteponeret. nec me nihilominus præterit, multos (scribente ad Trebatium Marco

Tullio) suam rem benegessisse & publicam a patria procul, multos qui domi ætatem agerent, propterea fuisse improbatos. Sed an ingenium sit tenerum, ac molle, sibiq; minime constans, an furor atq; impetus dominetur? Incertus sum. Equidem semper ex quo a patria abesse cępi, caritatem patriæ sanequ impatientissime tuli. Sed id me vel vnice consolatur, affertq grande perturbationis leuamentum, q domus nostra spectat Boream, daturq; obtuitu primo peteliam intueri. Illinc enim familiares lares conspiciuntur, atq idcirco periucundo solo speculator inde videtur animus frui. Vale, & liberorum eruditioni stude sedulo, vt domus nostra quæ citra desidiam liberalium semper artium extitit studiosa non sine flagranti liuidulorum ęmulatione in dies probe pariat literatos, nouosq; fetus producat, qui mirifico grandioribus sint ornamento. Interea amicis omnibus nomine meo Salutem dicas. Infensis autem malam mentem, pessimumq; consilium. Sanctę Seuerinę Idibus Nouembris. M. D. xxix.

Ianus Theseus Casoperus Alouisio
Spoletino. S. P. D.

LIcet patriæ, parentum, cognatorum amicorumq vehementi tenear desiderio, longe alia tamen deterior ægritudo cruciat, pestisq perniciosior. Vexor assidue circũagorq; pertinaci impotentiq; Cupidini, noua cottidie tormenta comminiscitur, nouosq identidem molitur equuleos. Fortunatissimos equidem existimo, qui fati ope benigni ab amoribus temperantes atrocissimam hanc carnificinam nequaq experiuntur. Hi sunt sententia mea quos æquus amauit Iuppiter. Istic sunt oculi fulminantes, qui mei mihi ipsius memoriam abole-

runt,meq; violentissime combusserunt,ac prope examinauerunt. Istac animus,istac vagatur assidue, intraque secretiora domus non infimę penetralia,vbi possit dominam tum castissimam tum venustissimam inuenire. Salutareq;. Nox nulla me Hercules abit, quin per quietem videar ceruicem lacteam amplexari,atq; istorsum me adigant insomnia. Itaq; Corpus Sanctæ Seuerinæ moratur,animus autem Psychronæos parietes inhabitat vixq; (quod aiunt) inde longius vngue digreditur. Blandus ambit dominam, secum quiescit, si modo quiescere licet interdum affectibus perturbato. Secum vigilat,pernoctat. Cogites amabo mi Spoletine,quam animo priuatus vitam degam. Sed scire fortassis optares,quo igni Theseus tuus misere torreatur. Satis esse tibi profecto debet statum vitæ nostræ quæ maceratur in scolo,verbis plurimis audiuisse. Vlteriora pectoris penetralia aperire nefas duco,vel si silentium Harpocraticum digito labijs admoto seruares. Parentes tuos, Reuerendumq; Decanum Auunculum charissimum atque optimum verbis meis saluere iubebis. & vale, Speraq; meliora Sanctæ Seuerinæ. XIII. Luce Nouembris. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Iacobo
Casopero. S. P. D.

GAudeo quia te præter nonnullorum opinionem egregie conualuisse cognoui. Posthac præstabis, proq; viribus eniteris,contendes, ne remorbescas quod fore confido, si visendi cottidie prędij ardorem extinxeris,atq; agri colendi arborisq; plantandę curam abieceris,necnon meretriciam Venerem eliminaueris,& quando illius accessu carere non

poteris, mensurnus admitte. Cum Camilla tamen nolim vllam habeas consuetudinem, sua enim est imprudentia purissimum amatorum sanguinem penitus exhaurire, proptereaque more Syrenum placidissima morte multare. Memineris etiā gruem istam tuam, quæ te vsque ad pęnitudinem emunxit, odio irreconciliabili insectari, nam & valetudini & rei familiari opinioniq́ue quæ in literato viro debet esse integerrima, q̃ optime cōsulueris. Adde quod nisi superbissimo riuali concedes, erit tibi centies (sicuti conijcio) cum Sacerdotibus nequiter sane ac summo cum discrimine dimicandum. Sed illud vnum in primis tot impensis tot laboribus partum sanitatē vt tuearis constantissime, certo scio te vehementer hortabitur, si quæ ęgrotationis tempore ludibrio omnibus habebantur, tuarum (bona venia sit dictum) ineptiarum pene infantilium non obliuisceris. Bene vale, Sanctæ Seuerinæ ad Idus Nouembres. M. D. xxix.

Ianus Theseus Casoperus Carolo Casopero. S. D.

QVm ad me plus æquo rescribere cessauisses duorum alterum suspicabar, aut quas tibi reddendas curaueram literulas interceptas, aut domesticę te rei admnistratione causarumq; actitandarum satie affectum rescribere non potuisse. Vtrum horum impediuisset, excusationem nequaq̃ repudiandā facilis admisissem. Etenim vera erat causandi ratio, & ego is sum profecto, qui illud vsquequaq; monitu Plinij consueuerim obseruare. Implacabilem mihi fieri, cęteris exorabilem. Deposueram spem omnem, qum ad me multiiuga ac prope cōtinenti lectione negociosum perfertur epi-

ſtola tua, literata ſane, iucundiſſimaq; varietate condita. Vtq; laudationis numeros omnis verbo vnico complectar, digna certe, quæ a Carolo veniret, quem inter doctos viros abſq; dubio cenſendum aſſero, & cenſebit quicunq; duriuſculis inuidiæ aculeis non ſtimulabitur. Me tanti abs te fieri gaudeo, minime tamen velim plusq; par eſt, mihi tribui. Porro hoc ſilentio non inuoluam, ab ineunte ſcilicet ætate enixum laborauiſſe, ne cum proletarijs eſſem profeſſoribus annumerandus, quod (niſi cæcutienti philautia tenebras offundit) fuiſſe plane me conſecutum exiſtimo. Sed quo ampliori nomine familia noſtra locupletetur, aliorſum progredi deſtinaui, & (ni Deus obſtiterit) animi non deerunt, non vigilantia. Sed paternarum mediocritas facultatum, peculijq; exiguitas noſtri dehortatur, ſtudio poſſe vtili ſumptus ſuppeditari. Et tu mi Carole, qui longe plurima perlegiſti, id etiam apud Seuerinum Boetium probe legere potuiſti. egeſtatem eſſe vniuerſę diſciplinæ nouercam, Hominemq; qum animo conſtet, & corpore, niſi adfuerint adminicula exteriora, quibus tanq; fulturis corpus hoc mortale caducum ſuſtineatur, breui fatiſcere: proptereaq; ſuauiſſimę ſpeculationis cognitioniſq; rerum ardorem modis omnibus euaneſcere. Auſcultaui hactenus interpellabis Parmenonis lege Terentiani. Non recte quidem ſentis Theſeu. Etenim artis totius calcar & incitamentum eſt inopia, & ſapientiam ipſam iuxta Euripideum illud ſortita paupertas eſt, ſibiq; imperioſę poteſtatis peculiari iure quodam vel ſtrenue vendicauit, qum opulentos ſimul & ſtudioſos inuenire ſimile monſtro videatur. Vera prædicas reſpondebo, ventrem ingenij largitorē (vt inquit Perſius) pſittaco chere ſuum expediuiſſe. In cuius ſententiam cadit & carmen oratianum. Paupertas impulit audax vt verſus facerem. non

eo inquam inficias, nauum fieri pauperem necessario, sed
agendę vitę deficiente viatico, industria illa quo pacto nō sit
interitura non intellige. Nonne & temporibus nostris com-
plusculos ingentis admodū spiritus animaduertimus? qui te-
nuiculę pecuniæ adiuti præsidio philosophandi gratia patriā
reliquerūt, atq; in proximiores ne dicā penitissimas regiones
vbi non opicæ floruerint literæ, successerunt? Totum id in-
dustriæ tribuas oportet, & quidem maximæ. eosdem post-
modum egestate coactos sacro habitu mineruali deposito, vel
in prophanam sanguinariamq; militiam temere profectos,
vel potentioribus humillimam seruitutem impotentibus ser-
uisse, atq; ita de gradu deiectos incępto cernimus oppidoq;
turpiter destitisse. Plærosq; etiam ad capiundam cucullam
egestas adegit. Qum infelicem horum considero diligen-
tiam, nam & ipse fere in eadem causa sum, despero subito,
despondeo Sophiam, conciditq; libido omnis ac prope im-
petus addiscendi, meq; non pœnitendi omnino pœnitet in-
stituti. Illos autem citra liuorem omnem voco mecum iden-
tidem fortunatissimos, quibus (vt aiunt) munificentia fati
contigit Heliutrepezza, vnde desyderio suo vel huberrime
queant obsecundare. Vale, & si ab occupatissimo literas
vel laconicas vel perraras accipies, sequius (vt ita loquar)
non interpreteris, nostraq; causa filiolos, præsertim puerulum
Cæsarem, quem maximo opere diligo, præsefert etenim
futuræ virtutis specimen non vulgare. exosculaberis, ample-
xaberisq;. Iterum vale, & Salue. Sanctæ Seuerinæ pridie
Nonarum Decembrium. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Iano
Baptistę ferrario suo.
S. P. D.

ACcepi fraterculum meum Pomponium tuæ esse subditum disciplinæ. Lętor magnopere. Spero etenim quamprimum eruditulum euasurum. nam & ingenium eius noui perspicacissimū, & studium ad bonas literas adeo continens, adeo nauum, vt grandem profecto deceret ætatem, Noui etiam in scholasticis erudiendis tuam singularem industriam. Quantū in moribus scilicet & in literis instituendo fratri quem plus oculis diligo, inuigilaueris, tantum me amari tibi cognoscam. Da operam obsecro pro amicitia nostra atque etiam affinitate, vt intelligam commendationes meas irritas non fuisse. quod si feceris pleniori officio me demereberis, ita vt tibi sim perpetuo debiturus. Vale, & vtere me. Sanctæ Seuerinę. VI. Idus Decembris. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Alouisio
Spoletino suo. S. P. D.

ACcepi epistolam tuam mihi sane pergratam Spoletine frater optime, minimo minus tamen abfuit, quin te ingratitudinis accusarem. Qum tot dies expectationem meam frustratus fuisses. Vix crederes, centies sum exosculatus, quæ de domina sæpissime tacite loquerentur. Vale, & amori adeo vigilanter inserui, vt qum annuente Deo regrediar, possim te voti compotem inuenire. Interea Decano nostro me commendare memineris. Sanctæ Seuerinæ. VI. Idus Decembrias. M. D. XXIX.

Ianus Theseus Casoperus Lodouico Angeriano iurisconsulto. S. P. D.

TV tandem fortunatus molestissimę vrbis fastidio renunciasti, teq; in libertatem sane voluptariá asseruisti. Arbitror Magni te Alexandri, imaginem auro cęlatam gestare, nisi certius sit litasse Rhamnusię, cui sic omnia cadunt ex sententia. Habuisti enim iustissimam discedendi causam, accersitus a principe lętitia gestiis ꝙ florentissimę patrię commodis sis propediem fruiturus. Ego vero discessu tuo conficior anxietudine. Dolui equidem doleoq̃ mirum in modum, ꝙ amicissimi viri cósuetudine suauissima carere mihi omnino necesse est. qui cum consilia conferebam omnia sæpissimeq; de re literaria non sine voluptate mirifica dissertabam. Ita vt optima inde atq̃ præcipua relaxandi animi, & plærunq; aliquid reconditum addiscendi commoditas præstaretur. Recte hercule prouerbio dicitur, vbi amici, ibi opes. Sed opes nimirum paramus opulentissimas, qum quempiam insigniter eruditum nanciscimur necessarium. Ego (quod alias Angeriane testatus sum, quia liberis moribus, legali atq̃ humaniori præter cæteros quos hactenus nouerim legum doctores valeas disciplina, te vehementer obseruo. Tu literas nostras licet incompositas, hasq̃ etiam celerius q̃ speraueras acceptas, nam vt ad te Neapolim mitterentur vel anxie quæsiuisti, necnon carmen præsertim illud quod cecinimus concordię regię gratulantes tibi destinatum, atq̃ abs te tantopere commendatum tanq̃ Charissimum beneuolentiæ pignus nisi plane pœnitebit, in Rebus habeas charioribus. Idq̃ quoniam pollicitus es, possem licet efflagitare, te tamen etiam atq̃ etiam rogo, meq̃ (vti soles) diligito, atq̃ amato.

Ipse etenim vbiq; locorum ero tuus, tuorumq; omnium. Sed qum Neapoli fueris, principi me centies commendabis. Sanctæ Seuerinæ Nonis Februarij. M. D. XXX.

Ianus Theseus Casoperus Alouisio Spoletino suo. S. P. D.

MAximo opere postulaui mi Spoletine, vt me rerum omnium quæ peraguntur istbic, admoneres. Ipse autē quæ tua est confidentia, scribere vel neglexisti, vel imperijs patrui obeundis districtus non potuisti. Sed vt vt fuerit, nisi pudorem abieceris omnino, frontemq; perfricueris, præteriti temporis iacturam assiduitate scribendi resarcies. Meq; in primis de muliere formosissima si modo dijs digna digne mu lier possit appellari, qum certum tabellarium habueris, commonefacias. & caue ne Coryceus quispiam subauscultaueris. Etenim res omnis quæ hucusq; summo studio tecta fuit, non sine maxima perturbatione patesceret. Nam & ipse literas tuas simul atq; semel percurrero, tradere vulcano memi nero, ne forum fortassis accipiant. & vale, Datæ Sanctæ Seuerinæ suprema luce Martij. M. D. XXX.

Ianus Theseus Casoperus Ludouico Angeriano iurisconsulto. S. D.

OBlatam scribendi opportunitatem omittere graue du cens, tibi significo. Tertianam febrim febrientem Sancta Seuerina decessisse, atq; in patriam curandi corporis studio concessisse. vbi purissimi aeris amœnitate atq; temperie minimo negocio sanitatem recuperaui, breuiq; conualui, nec

huc amplius profitendi gratia reuersus sum. veritus ne deterius remorbescerem. Tum quia æstate scholastici præsertim illi, quos veriori vocabulo discholos appellauero, segnitiem amplexari consueuerunt. A discipulorum igitur institutione feriatus, reiq́; familiaris cura, quam me maxime scis abominari, domi maneo, interdum & aliquid voluptariũ scribo. Et quia ad Calendas Septembres in istam tuam nobilissimã opulentissimamq́; Neapolim dijs iuuantibus studendi gratia venire constitui, per literas me certiorem facias rogo, ecquid huiusmodi consilium ipse probaueris? Etenim suasionibus tuis quam libentissime acquiescam. Interea cum Annibale Silliano conquerar. Heu breuitas prohibet mutabilis horę prolatare diem. Sedeam ne vt nouerit vna me tantum Psychro? Licet aliquando principium exemplis ad altiora niti, magnorumq́; atque paruorum longe imparem quodammodo fieri similitudinem, vt quod de Carthagine Romani tunc temporis imperij ęmula dixerit iuuenis idemque Dux singularissimus, de Psychro Vrbe præ Carthagine (quod non te latet) sane humili homunculus ego tenuis vnus e multis dicerem non dubitauerim. Vale, & Principi meo omni profecto virtute splendidissimo cuius (vt rite nouisti) sum apprime studiosus, me plurimum commendabis. Datę Psychro Idibus Iunij. M. D. XXX.

Ianus Theseus Casoperus Alouisio
Alemano. S. P. D.

SI scribendi hucusque instituto supersedi, desidię suspitionẽ mutatæq́; voluntatis a me amoueas velim. Etenim memoria tui nunquam ab animo decessit meo, & arduis districtus

negocijs a dandi literas pristino illo feruore studium auocaui. In præsentia tamen sepositis aliquantisper curis te admoneo, corpore beneualere. Sed vehementissimo loquendi tecum ardore teneri. Proinde qum mihi Neapolim mature tendere necesse sit, istac iter faciam. Tu interea ab omni patrocinio feriatus, da operam obsecro valetudini, rebusq; genialibus sedulo indulgeto, nam & ętas postulat, & hubertas patitur fortunarum. Vale, & Salue. Psychro ad Quartumdecimum Calendas Augustas. M. D. XXX.

Ianus Thesęus Casoperus Lodouico Angeriano Iurisconsulto. S. D.

LEtitia afficior ingenti, quia te beneualere cognoui, & quia istuc propediem venturus sis reip. nostræ administrandę gratia. Ego (si fortassis scire cupias quid ociosus gradatim agam) post matutina studia sacram ędem adeo, humani sospitatorem generis adoro, diuinisq; assisto. Mox pransurus domū repedo, ante prandium tamen lectitauisse aliquid quod perturbationibus prope sexcentis solatium afferret, atq; cum secretioribus Musis sesquihorę fermę spacio consuetudinem habuisse, intelligas velim. Qum dies est ad vmbilicum, dormio nōnunq̃. post vesperam, aut solus, aut cum aliquibus non omnino literarum ignaris deambulo, atq; inter deambulandum, nostratium fœminarū formas intueor, quarum speciosę multę, multę venustę. Alienigenarum tamen vnam laudo, suspicio, & admiror. In hac hæsi penitus, in hanc totus feror, hæc oculis Cor abstulit, flagrantissimumq; in visceribus incendium suscitauit. Proinde vsquequaq; discrucior, hac nihil certe pulchrius, elegantiusq;, nihil castius nobilius, excellen-

tiusq́ inueniri potest. didici miseria mea profecto didici, quatenus muliebris possit aspectus. Dij boni, nullum arbitror fœmina fortius numen atq; validius, quæ homines Cęteroquin rationis compotes vultu atq; oratione insanire facit. eaq; fascinare, vt suæ dignitatis rationem habeant nullam, virtutisq́ obliuione futilibus atq; turpibus illecebris inhęrere. Expertus fuisti, nec vnquam ibis inficias, quo dolore angar, qua torquear anxietudine. Itaq; tibi qui antea eadem processisti via, culpari nequaquam debeo. Quum (autore Cicerone) necesse sit hominem carere vitio, qui in alterum paratus est dicere, cui subscribit, & illud Plautinum, qui alterum incusat probri, se ipsum intueri oportet. Idcirco spero me clementius faciliusq́ tractari. Sed esto quod adulescentiam integer atq; absq; amore vllo transegeris, optimum & emendatissimum existimat Plinius, qui cæteris ita ignoscit, tanquam ipse cottidie peccet. Vale Psychro Tertio decimo Calendas Sextiles. M. D. XXX.

Ianus Theseus Casoperus Antonio
Thylesio. S. P. D.

MIrifico hercule gaudio fui affectus, simul atq; ex epistola tua vna cum carmine ad me data, amari plurimum intellexi, ego & si iampridem tuę doctrinę celeberrimo nomine allectus, ad te diligendum animum applicuerim, posthac tamen adeo vehementer amabo, vt chariorem sim profecto neminem habiturus. Idq́; tibi de me non obscure polliceaaris. Quid enim suauius? Quid honorificentius? Quid vtilius tandem quam cum doctis beneuolentię vicissitudinem iniuisse? Quorum vel indissolubiliter amicitiam amplexandam

optimus quisque nisi sensu plane communi caruerit, semper exi stimauit, vtpote a plebeiorum gregariorumque ingenio penitus abhorrentium, qui a scortorum nonnunquam consuetudine, a crapulis plerunque sese vulgariter diligentes, ex vsu atque (vt ita dixerim) ex farina familiaritatem metiuntur, castumque vi tiant amicitię nomen, & mercennarium habent, atque venale. Hos si cum amicis fortunam crudeliter se gerere sibique nouer cari semel euenerit, more hirundinum exacta ęstate confestim abijsse conspicies, proinde amicitiam ipsam virtutibus omnibus sententia mea longe commodiorem, nulla vnque labecula polluendam qua nihil humano generi conducibilius religiosiusque diuinitus datũ est, fędissimis sordibus maculant, atque deturpant. Idcirco mihi ipsi gratulor maximo opere tam docti viri beneuolentiam mutuam acquisiuisse. Imbrem aureum Tragœdiam proximoribus mensibus editam, nunc primitus visam, mihi tam comiter tam benigne dono missam hilariter accepi. agoque gratias. Cuius perlegendę tanta statim cupido animum incessit, vt omissis serijs atque nequaque mihi crede, post habendis negocijs, illam ad calcem vsque studiosissime lectitauerim. Vtque Charissimi Viri Clarissimique monimentum diligenter asseruo. Opus sane multiplex, varium, luculentũ, atque omni ex parte affabre perpolitum, Opus inquã dignum quod ab officina Thylesij literati sane classici primarijque, vbi cedro digna cuduntur, publicum acciperet. Ibi quemadmodũ & in cęteris a te compositis poematibus ingenium felix atque huberrimum, summaque doctrina liquido cognoscitur. Ita vt vel grandi deposito contenderem, Medeam illam Ouidianã quæ Quintiliano ostendere videtur, quantum vir ille præstare potuisset, si ingenio suo temperare quam indulgere maluisset, & sententiarum pondere, splendoreque orationis longe infe

viorem extitisse. Omnia adeo cōcinne, adeo decenter, vt nihil ad Tragicam illam grauitatē possit desiderari. adeo momos omnes atq; liuoris oblatrationes effugit, seq; a maledicentię morsibus vindicauit, vt nihil ibi ingeniosus Lector idem & curiosus quod carperet, inueniret. Opinor equidem Octauiam Claudij Danaę tuę felix infortunium inuidere, cui tam illustrem fata scriptorem indulserint. Stude igitur mi doctissime atq; eloquentissime Thylesi, noui quodpiam in dies emittere, vnde tibiipsi sis immortalem apud mortales gloriam pariturus, posteritasq; sentiat lucrifecisse, quippe quæ sapientissimis operum tuorū institutis admonita, vel e bona melior euasisset, vel voluptati nequitiæq; dedita e libidinibus emersisset, atq; ad frugem boná (vt aiunt) se recæpisset, proptereaq; manibus tuis quotannis sit sedulo iusta persolutura. & quia (sicuti scripsisti) me cernere mecum atq; loqui desiderio moueris, te certiorem facio, licet ex quo Romæ magno Theatro profitebaris, istud ipsum desiderium contraxerim, simul atq; tamen literatas literas tuas beneuolentiæ plenas accepi, ardore feruentissimo flagraui, ac prope desipui videndi tui salutandiq; studio. Et nisi Syla Cosentina densissimis vndiq; niuibus obsessa, frigido Decembri proficiscentem impediret, vtriq; nostrum obsecundarem. Atqui inquies recta via iter tuum alia conficere potes? Non abnuo. Sed vitę periculum q̄ sæpissime immineret. Qum tot fluuij sint necessario plęrunq; maximo cum discrimine viatoribus transeundi. Tu quādo me amare cępisti, Saluti meę modis omnibus esse consultum optare deberes. a me tamen detrectati laboris suspitionem omnem abdicaueris. Sed qum tutus istuc dabitur accessus, nisi me longinquas, terras tunc temporis inhabitare contigerit, siquidem hinc proficisci proximo Ianuario decretum est, Co-

sentiam veniam, nimirum alloquendi te tantum gratia. Interea cura valetudinē, meq; reculisq; meis arbitrio tuo vtere, offendes etenim vbiq; gentium q̃ libentissime paratum. Psychro. XII. Calendas Ianuarias. M. D. XXX.

Ianus Theseus Casoperus Marco Antonio Magno S. P. D.

POssem equidem de te Magne merito conqueri, q amicitiæ (si vera sunt quæ audio) rationem habes modicam, ac pene nullam. Etenim gloriatur quidam, qui cum mihi in foro controuersia est, se D. Marci Antonij magni munificentia actuarijs nil sumptuum hactenus impedisse, neq; in posterum impensurum. quod sane permoleste fero. Quippe aduersarium soluendi oneris immunem capiet nunq̃ litigandi satietas, & ego interea nummis exhaurior. Non belle facis profecto Magne, nam & amicitiæ iura alioquin inuiolabilia lædis, & principem nostrum hac causa (nisi fallor) offendis. Sed si iuuare constituisti, quos hercle minime curare debes, Imperti mutuo, dono da, hac via suppetias ferre aduersario quem insolens vlciscendi desiderium transuersum agit, neq; iustum arbitror, neq; decorum. Fac tamen vt lubet, morem gere animo tuo, mihi sat est semel aurem vellere, commonere, atq; (vt ita dixerim) dormitantem bonum Homerum excitare, vtcunq; erit, inimicorum iniquitas faciet nunq̃, vt te non adamem, non obseruem, Ouidiano Carmine motus. Quoties Agamemnone natum Dixisse. In Piladen Verba proterua putas? Nec procul a vero est, q vel pulsarit amicum, Mansit in officijs non minus ille suis. Doleo tamen amicitiam qua tantopere gaudebam, & (quod erat tenerioris ingenij) tu-

nescebam, tibi imprudenter offendi. Sed (vt spero) receptui canes. Meum est te rogare atque orare, vt nostri sis memor, meq; ames amore illo tuo pristino. Turpe enim duco, quem tam vehementer atque ex animo dilexi, quam ob causam nescio abalienatum videri. Vale. Psychro Idibus Augusti. M. D. XXXI.

Marcus Antonius Magnus I. Theseo Casopero. S. P. D.

INcusas me Theseu tanquam amicitiæ immemorem, recti boniq; euersorem, & (quod magis animum nostrum angit) etiam ingratitudinis insimulas. Ego te contra, ne par pari referam, iuuenem doctum appello, amicum optimum, officiosum, & ingenuum, sed paulo nimis (vt video) credulum, quiq; audentius quam par est, affirmes de altero. Quando enim ego aduersarios tuos iuui ope vlla? Quos sumptus? Quos actuarios mihi nominas? di talem auertant a nobis mentem. Decepperis mihi crede, totaq; (vt aiunt) aberras via. Nihil enim hac re falsius, nihil a mente tui Magni alienius. Quem si nosses minime meras hasce nugas in animum inducere posses. Quare tibi nihil aliud respondeo, nisi quod me Magnum & re & nomine arbitrere, nec facile credas, nisi quod oculis videris, aut manu tetigeris, imo nec oculis, nec manibus tuis credas, si ea, quæ esse non possunt, aut viderint, aut tetigerint, quia φαντασματα sunt, atque (vt est in prouerbio) terra volat. Vale. Sanctæ Seuerinæ. XVIII. Calendas Septembris. M. D. XXXI.

Ianus Theseus Casoperus Iano Colucio. S. D.

QVm in Apuliam itinere nauali Franciscus noster Florius insperato transmitteret, ex tempore literas hasce. Impertire tibi constitui. quibus te commonitum velim, mecum bene esse, & musarum nō immemorem indies heroica interdum plerūq; erotica scribere. & nisi iudiciariarum anxietatum Salo mersus in patria distinerer, iādudum vel Neapolim vel Patauium concessissem. Sed ad sententiam hinc ad paucos dies deuenietur. propterea quemcunq; res exitum sortietur, spero molestias forenses, quæ me biennio ferme male habuerunt, euasurum. Tu sicuti ante hac cōsueuisti principi tuo viro (vt audio) sine controuersia humanissimo fidelem serui atq; vigilantem seruitutem, ita vt q̄primum intelligam in penitiorem aulæ partem admissum arcani totius comitem atq; arbitrum euasisse, proindeq; grater honorem tibi potissimum a beneuolente principe, munificoq; fuisse delatū. Quod nimirum arbitror esse facturum, si erudiendi liberos liberaliter atq; ingenue locū nullum ac tempus omiseris. Indolemq; illam heroicam atq; (vt prędicare solebas) ad diuinitatem q̄ proxime accedentem, ad bonas literas amplexandas, & ad gloriam maiorumq; decora capessenda sedulo cottidianis hortatibus accenderis, inflammaueris q;. plura scriberem, nisi tabellarius profectionem accelerās, admoneret importunius calamum scilicet e pagina. Vale, & per singulos gradus memento virtutis, vt agnatis tuis nobilior quot quot sunt fueruntq; olim cunctorum calculis iudicere. meq; ama, tibiq; persuadeas vehementer amari. Psychro Calendis Octobris. M. D. XXXI.

Ianus Theseus Casoperus Marco Antonio Magno.
S. D.

SAlue Magne, Cosentiæ morantē offendit Roggerius negociorum pricipis (vt aiebat) procurator, homo mihi antea nequaquam notus. dedit literas, orauitque impense, ac satis anxie, vt ad te perferendas curarem. Accepi libēs, promisiq; operā meam, tum quia id ex vsu fore principis intellexeram, tū quia rem tibi gratam arbitrabar esse facturū. Nactus igitur opportunitatem fidi tabellarij, recta istuc venientis, illas ad te mitto, suscipe, lege, & (vt soles) mature consulito. Vale. Psychro. V. Idus Octobris. M. D. XXXI.

Ianus Theseus Casoperus Iano Bernardino ferrario.
S. D.

PErgratæ mihi fuerunt literæ tuæ suauissime Bernardine. Ex illis enim te recte valere cognoui. Cura tamen diligenter vt in dies tibi sit validius. In re mea iudiciali post tuam hinc profectionem nihil est profecto noui, quod scribendum censeam. Cętera omnia adeo pacata, adeo composita, vt mihi debeas gratulari. Tu mi Bernardine stude nauiter, alacriterque. Ita vt institutiones Imperatorias quam citissime possis exigere, quod vbi feceris, expeditius feliciusque huberioris doctrinæ gratia comparandę poteris alio proficisci. Vale, & a Laconicis literis abstineto, siquidem attice scribens, voluptatem mihi mirificam conciliaueris. Psychro. IIII. Calendas Nouembres. M. D. XXXI.

IANI THESEI CASOPERI PSYCHRONÆI EPISTOLARVM. LIBER SECVNDVS.

IANVS THESEVS CASOPERVS SALVATORI CONSVLI. S. D.

CVperem potius literis (vt institueras) operam nauares, ꝙ in aula ociosam ætatem transigere. Sed quoniam fato quo plurimorum sententia mortalia hæc reguntur, euenit existimo, vt abdicato Musarum commercio adesse principi optaueris, consilium tuum si non probo, non vitupero tamen, hæsisti etenim Ferdinando Spinello primariæ nobilitatis viro, Viro inquam Illustrissimo, qui patrem sane principem heroicis virtutibus insignem, titulis & recte factorum domi forisq; gloria nõ ęquauerit modo, sed a se longe reliquerit. poteras conuenientius incępto operi institisse. Siquidem grammaticen probe fideliterq; didiceras. & ingenij non pœnitendi dexteritas, felicitasq; memorię ad altiora capessenda non tibi deerat. hubertateq; patrimonij abunde sumptus sufficiebãtur. Itaq; philosophię adytum, quo nemini parũ opulento aut certe ꝙ paucissimis fas est introire, iuxta illud philosophicum oportet prius ditescere, & deinde philosophari, poteras tandem irrumpere. Sed & hac via datur cõmoditas. vnde familiam tuã patriãq; possis augere,

atq; ornare. Non enim sola literaria facultate nomen quærimus, verum cum magnis vixisse pulchrum esse atq; decorum inuita fatebitur vsq; inuidia. Præsertim quod illi seruis, qui ingenij facilitate munificentiaq; Neapolitanis fortasse Heroibus omnibus antecellit. Proinde dulcissime Saluator postquam id muneris obijsti, quod tibi laudem quam maximam comparaturum confido, enitere summo studio fidissimis obsequijs indulgentiorem principem istum tuum demereri, & in te gratitudinis suę patefacto sinu longe amplius locupleteris, remq; paternam beatiore cumules fortuna. Enimuero qum te adulescentulum ac pene puerum esse viderem, propterea q; parū prudentem. quando rerum vsu constat prudentia, mei officij esse existimaui, tibi intra penates auunculi ab ipsis (vt aiūt) vnguiculis liberaliter educato, atq; idcirco germani loco semper habito, apud aulam viuendi formam quantum studio complecti valuimus, exhibere, viamq; ostendere tutiorem, qua isthinc te possis aliquando feliciter explicare. Tu si me audies, fore spero, vt monitorem extitisse non erubescam, neq; te dicto stetisse pigeat. Prima ergo ac præcipua cura erit, principem tuum in dies in horas tibi beneuolentiorem reddere. excogitabis rationes, quibus illi sis modo aliquo placiturus. Quicquid iniuriarum subiratus irrogauerit, ferto modeste, si enim vbiq; maledicta æquo animo sunt toleranda, hic te penitus petulantię verborum concessurum velim, memorem notissimę vocis eius (quod scribit Seneca) qui in cultu regum consenuerat, qum quidam illum interrogaret, quo pacto rarissimam rem in aula consecutus esset senectutem? Iniurias inquit accipiendo, & gratias sæpe agendo. A voluptatibus superuacaneis, & minime necessarijs quam maxime poteris, abstineto. Duo enim esse vitia dicere cōsueuerat Epictetus (autore

Gellio) multo omnium grauissima, ac tenerrima, intolerantiã scilicet, & incontinentiam. Proinde si quis hæc duo verba cordi haberet, patere, & abstine, eaq; sibi imperando atq; obseruando curaret, is plęraq; esset impeccabilis, vitamq; viueret tranquillissimam. Caute singulos obserua, quem in te gerunt affectum, nemini arcana concredito, quãuis ex corde te amare iurauerit. Raros enim inuenies, qui promptum in aula non habeant dissimulationem, nec aliquem tu tibi in amicitiã veram asciscas, omnes tamen vulgariter amplexeris. omnibusq; te lenem & officiosum exhibeas, non insolentem. Nunq̃ irę eorum quibuscum agis celeriter occurras, licet iniustas irarum causas susceperint. Cunctos vbiq; laudare memineris, amoris enim principium est bene loqui, sicut vituperatio est inimicitiarum exordium. Meretricum amplexus totis viribus euitato, quæ similes sentibus (Plautina bracteata sentẽtia) vbi hominem actigerint profecto aut malum aut damnum inferunt. Aleę lusum vt hostem certissimum ac perniciosissimũ fugito. Si volueris in aulica militia tuto degere, pereat tibi pudor omnis necesse est assentare vel scurris, quos noueris apud principem impetrabiles, vt qum opus fuerit, possis vti nonunq̃ deprecatoribus. Si fortuna arrisit aliquando, ne patiaris elabi, pressis manibus tene, frustra vocaueris abeuntẽ, miris enim modis ludos facit mortalibus. non semper propitiam inuenies, arripe opem (monet Phineus Iasonem apud Flaccum Valerium) quam tulerit Deus. Si augendi tui occasionem nactus fueris, desidiam omnem eliminaueris, quo id fiat mature. Exigui pusilliq; hominis esse ducito, emolumenti rationem imprudenter omittere, Quoties aucupandi venandiq; datur potestas, vel genitorem germanum ue pręueniẽdo decipies, Causa tua sit semper potior, Tu tibi sis charissimus

omnium, iuxta tritum græcorum Adagionem genu crure propius. Ex aulicis primatibus Paulum Stochum Cosentinum rei militaris expertissimum, Ianum Nicolaum Costum virum iure consultissimum, secundarum causarum iudicem integerrimum, præcipueq; Camillum tuum iuuenem hercle claro loco natum, literarumq; (vt compertum habeo) studiosissimum summa obseruatione complecteris, illorumq; beneuolentiam vel munusculis quæ ad conciliandos hominum animos multũ habent momenti, sæpiuscule captabis. Qui enim bona fide deos colit (Scribit Papinius) amat & Sacerdotes, & qui Sacerdotes habebit amicos, Ioui maximo gratus erit. Postq̃ autẽ voti compos factus fueris, commeatus petendus est, siquidem in aula non oportet senescere, curabis tamen sedulo, vt migratione tua princeps offensus non relinquatur, quo in necessitudinibus promptissimum inuenias auxiliatorem. Vale, meq; principi cuius sum apprime studiosus, necnon Camillo aulicorum ornatissimo plurimum commendato. Datę Psychro pridię Calendas Ianuarias.

Ianus Theseus Casoperus
Alouisio Lilio. S. D.

QVod scholasticum agas Alouisi & aulicũ non belle probo. Etenim animus duobus vacans muneribus neutrum absoluet. Sed si necessitudine fortasse coactus, quæ superari non potest, in aula principis militare cępisti, qum ex re patris necessaria ad literarum studia non sufficerentur, caue ne te impudicę Laidos fornicem adijsse, sera subeat pœnitentia, daq; operam, vt breui te ab illius amplexibus eximas, & nunq̃ tibi ex aula præclaram felicitatem ariolaberis,

qum aulicorum fructus sit ate. Dum tamen isthic moram trahis existimatio tibi tempus omne perijsse, quo non aliquid acquisiueris. Studium tuum erit homines inescare semperq; nouæ rei quippiam cōminisci, quo possis dextro Mercurio nonnihil pecuniarum expiscari, artemq; tuam magno vendere, vt nullius ope voti compos efficiare, quod tibi in laudem gloriamq; longe cumulatiorem statuetur, quippe qui tanti fueris honestissimum laborem aut nullo aut quam minimo sumptu domestico exantlare. Vale, & nostratibus omnibus qui Neapoli degunt ex me salutem dicas. Psychro .V. Calendas Februarij. M. D. XXXII.

Ianus Theseus Casoperus Petro Carusio suo. S. D.

DIsceptabas nudius Tertius mi Petre cum homine non tantum non bellicoso, sed quem penitus disciplina militaris, pugnandiq; ars fugerit. Vtrum legum doctor milite sit dignitate præstātior? Et vt qui literis vacas, literarias partes susceperas, proq; viribus tutaberis. Recte tu quidem, qui studio tuo non defueris, ille vero vanissimus nebulo vt defensione armorum rei bellicæ se studiosum ostentaret. Literas omnis petulantissima lingua insectabatur. futurum ratus, vt vituperatione literarum apud temulentos stultosq; milites ipse temulentissimus stultissimusq; gloriam consequeretur, eorumdemq; gratiam venaretur, proptereaq; rationes tuas solidissimas illas quidem ineptissimis argumentis infringere, atq; impugnare conatus cadebat a causa. Res profecto risu digna Democritico, stolidissimam beluam quæ vix elementa cognouerit, disputantem audiuisse. Tu autem deinceps præ-

sertim cum illiteratis & vino lapsis disceptare nolito, nam & existimationi tuae detrahes, scis enim cum humilioribus inde corum esse certamen, & pertinacissimum vulgus si conuinces, non ideo de gradu deijcies, vt fateatur tandem, causam tuam esse iustiorem. Adde quod literariae facultati, quae vndecunque sibi ipsi constat, quae sat pollet, nullius opus est patrocinio, & demortuam causam denuo renouare vt non necessarium est, ita & incommodum, qum rei iudicatae obstet praescriptio. Nimirum omnes nouerunt, & recte, vt olim pro nobis in Tribunali regio dicta fuerit sententia. qumque fuisset superior forte iudex prouocatus, ad quem appellationis causa legitime pertinebat, est pronunciatum, fuisse de iure in principali iudicio diffinitum. Proinde si quispiam te ad huiusmodi certamen iterum lacessiuerit, preter exceptionem propositam, poteris illudendo canere Hexastichon id nostrum, quod diebus praeteritis in cuiuspiam iuuenis mihi multis modis copulatissimi gratiam fecimus, atque ad eum vt vteretur, dedimus, versabatur enim tunc temporis in quo in praesentiarum ipse Salo versaris. quod sic sonat. Bellantes sacris nemo doctoribus ausit conferre, armatos causidicasque viros. Hi rerum noscunt seriem rudis omnia miles nescit, consilio est doctor & ense bonus, namque animos pallas non dempsit, nec sibi vires, in bello est tantum commodus ille foris. & vale felix. Psychro ex aedibus nostris. VIII. Calend. Martias. M. D. XXXII.

Ianus Theseus Casoperus Iano
Bernardino ferrario. S. D.

IVstas equidem Bernardine accusandi tui causas haberem, qui manere promissis nequaquam curaueris. Scis enim quano

topere epistolas tuas attico lepore conditas expetiuerim, expetamq;. & tu polliciti destitutor, vbi vnas ad me literas & eas admodum breues dedisti, perpetuum tibi silentium indixisti. perperam profecto, & citra amici officium facis. Num Commento alioquin probabili in studijs occupatissimum esse causaberis? nullumq; tibi argumentum scribendi dari? vtraq; hercule excusatio non admittenda, nam & si a patria absis, proindeq; arbitraris esse in occulto, tantus est in te Amor meus, vt nemo isthinc veniat, quin vel anxie mihi rogitetur, vti valeas, vti tecum agatur, an auditio lectionis totū exigat, rapiatq;, ita vt nostri fueris penitus oblitus? Cunctiq; vel iureiurando asserunt sat commode te valere, quæ res me magnopere delectat, multūq; tibi ab ocio literario ocij superesse. Præterea qum nihil habueris, quod ad me scribas, illud certe semper erit in promptu. Si vales Theseu bene est, ego quidē valeo, studeoq;. & statim epistolam obsignato. Ipse te videre desidero, putabamq; genialibus diebus proxime elapsis te domum repetiturum. Itaq; spei nostræ non respondisti, durus sane qui nullo impedimento detentus externum solum patrię, genitrici desiderio tui vehementer affectę, fraterculo vnico, auunculis, amicisq; omnibus pretulisse potueris. Vereor ne te cupidineæ isthic immoratę fuerint illecæbrę. Siquidem noui quāta vis sit amoris, q̄q; tibi sit imbecillum pectus puellarum amoribus reluctandi. Si tamen Testiculi Vena vlla paterni (vt cum Persio loquar) in te viuit, abremigare conaberis. Ad hunc etenim Scopulum plæriq; fecere naufragium. Res meę hucusq; probe geruntur, sed ex corde doleo q̄ Fasliam meam infensam habeo, subindeq; in me grassatur, nouaq; in dies tormentorum contumeliarumq; genera comminiscitur. felices illos quidem ac perbeatos puto, quibus aut nullus aut

obsequentissimus amor euenerit, Dabis operam si tuos amas vt domi peragas paschatis alma solennia, post reuersurus, si vsus postulare videbitur. & cura vt valeas, doctoremque tuum interpretantem non attentus modo (vt soles) sed & auidus auscultato, & (quod est animi optime instituti) quam obseruantissime colito, est enim doctrina insigni, solertiaq; clarissimus, cui necnon Scyllano nostro ac Mario Carusioq; sacerdoti ex me salutem dicas. Psychro. XIII. Calendas Martias. M. D. XXXII.

Ianus Theseus Casoperus I. Theseo papaiano suo. S. P. D.

SI hactenus negligens in scribendo fuisti, non est tibi mi Theseu tantopere dolendum, quando res agitur cũ homine natura facili, tuique (vt scis) amantissimo, quiq; tibi ne dum occupato vt scribis, Sed & ocioso facile possit ignoscere. Danda tamen opera est, vt in posterum sis assiduus. Siquidem hac exercitatione literario studio non parũ contuleris, & amicitiæ munus absolues. ecquid per Apollinem Mineruamque literatorum numina præsentissima Casopero tuo erit gratius, quam epistolas accipere, & reddere? ex tabellis tuis in humanioribus te disciplinis nõ modicũ profecisse cognoui, & (quod nõ me latebat) nostri esse perstudiosum. Huc tamẽ incũbe, vt in dies fias eruditior. Quã rem facillime assequeris, tũ iuuante liberalis ingenij bonitate, tũ rarissimi præceptoris doctrina, prope miranda, proinde ciues omnes pulcherrimam tui expectationem suscepere. Tu deesse ei turpe atque ingenuo adulescente indignum puta. Negocia mea omnia (quod scire desideras) ad hanc vsque diem opt. Max. Dei beneficẽtia prospere

curantur. Ipse vt soleo vix stadium vnum paterna domo discedo, nisi quando animi relaxandi gratia. Sunt enim intermissiones quãdoq; faciendę, suburbanũ nostrum peto. De controuersia quam Thrasonem vt Græci dicunt, nostri militem gloriosum, non (vt tu appellas) veteranum, nam laudi datur, contra Philaretum impudenter mouisse constat, incertũ est. Quinimo abs te qui Cosentiæ agis fieri certiorem exposcit. Gratissimum feceris, si actorem causę totius paulo importunius interpellaueris, sollicitauerisq;, ac pene dormientem excitaueris, vt rem tandem exequatur, & vt id ad te scriberem mihi Philaretus amice mandauit. Sed vt de Cęlicensi ripulo qui nuper huc aduentauit, audimus, Iudex appellationis vt carnis priuij (vt sic dicam) Bacchanalia more nostro cum domesticis celebraret, Salernum profectus est. Sperat rem probe feliciterq; cessuram, nam & ius fouet, quod ad optinendam causæ victoriam plurimum habet momenti & Regulus ille tuus operam suam omnem ad id studiumq; promisit. Et tu non ignoras quanti valeat apud Mendocium prouincię pręsidem, nec eum magnopere mouet, ꝙ cum illo sibi negocium geritur, qui in Cæsarem optimum centies proditorem egit, remq; Imperatoriam quantum potuit, oppugnauit, vnde nullam aut saltem minimam sui sint rationem iudices habituri. Qui tibi principem litium motus composuisse narrauit, aut mendax fuit omnino, aut mendaci vanoq; parum prudenter fidem adhibuit. Siquidẽ nec verbũ quidem vllum factum est. Oportuit prorsus, oportuit in patria nostra mi Theseu pene venali seditiones oriri, vt improbis malehabitis in pace viuatur. De His hactenus. Scis vt olim fuco quodam atq; pigmentis Amicus itidem alter ille tuus ciuibus omnibus erat acceptus. Nunc principi, nobilitati toti, plebeijsq; ita viuit in-

sensus, habeturque ludibrio ob ineptissimas quas ineptiuit ineptias, vt voluptas sit maxima grandia loquentem ampullo, sumq; hominem de fastigio existimationis suæ non iniuria deturbatum aspicere. Scis vt primos recubitus atque subsellia occupabat. Nunc in templis vix pusillus sibi idemque supremus locus relictus est. Stans Cærimonijs ac Mysterijs interest, stansque Ecclesiasticorum declamatorum conciones auscultat. Quid tum? Methamorphosin decentissimam factam esse miraberis. neminem habet amicum, cui concredere possit arcanum, qum in plateam forumque iudiciarium venit, licet id quidem sit perraro, cui adhęreat inuenit neminem, excipio tantũ tria ccc pessima. Addo & Quintinum hominem quod scis, perditissimis moribus. atque sublesta fide, qui cõtage teterrima familiam suam omnem adeo infecit, vt nulla sit spes sanitatis recuperandæ relicta. Habes, an interprete opus est? Volue animo transacta omnia in vrbe nostra, & e vestigio succurret intellectus epistolæ. Id præstare valeo, quod magno optaret emptũ intra suam (quod aiunt) se tenuisse pelliculam, & philopolites merito sibi gratulari potest, ac debet, qui tanti fuerit hominem tantopere sibi placẽtem, hominem inquã factiosum, perfrictæque, frontis, omnia exigua reputantem perdomuisse. Idque. fateri absque dubio quidem valeo, Dijs qui superbiam eleuant, approbantibus euenisse. Sibi debetur triũphus, sibi non vna Ciuica, a Tyrannide quam affectare ambitione dementissima videbatur patriã vindicauisse. Sed nunc diuertam ad seruilium familiarem olim tuum, aduersus quem furti actio instituta pene abolita est. Ita vt Oratianũ illud iure possimus decantare, parturient montes, nascetur ridiculus mus. Ancillula quæ maleficij conscia dicebatur, quæstionibus habitis nil de crimine fassa est. Res profecto digna annalibus atque

recenti historia, Res sæculo nostro nusq̃ (vt arbitror) locoq; visa, tantum in muliercula qum torqueretur, constantiá inuemri. vide quanta sit vis Innocentię. Hoc etiam audeo dicere, q̃ nec Epicharis libertina mulier vt legimus in historijs, nec Quintilia in coniuratione Caligulę torta illam inuicti animi firmitatem retinuerunt. Itaq; potiundi argenti spe destitutus, inultus flet delator vt puer, satq; creditoribus faciendi conflauit enim vt nosti plurimum æris alieni, quando in lubrico bonas spes omnes collocauerat, datur nulla potestas, efficiturq; non soluendo, etiam si rerum vniuersarum auctionem faciat, exponatq; liatatoribus. necesse est sibi modis omnibus cessionem fieri bonorum, sic enim a nominibus contingit liberatio. hæc ad te scripsi, vt audires sortem hominis esse miserrimam, cui tantũ arbor suspendio eligenda relinquitur. Vale, & Præceptori nostro quantumuis languido atq; segni (vt scribis) in lectionibus operam da, omniaq; eius dicta vel ociosa memoriæ (si sapis) Sacrario cõmendato. Ecquem Nicolaus fideliter non instruxit, modo sit scholastico cura discendi? meq; admoneas, an lucubrationes (quod asserũt) Neapolim imprimendas miserit. Si verũ audio mihi q̃ maxime adulatur. Cupio. n. nominis sui amplitudinẽ & gloriá prorogari. Ianum Paulum nostratẽ, necnõ Alouisium Crotonensem mihi inter pau.os charissimos salute plurima impertito. & iterum vale, Psychro. V. Nonas Martias. M. D. XXXII.

Ianus Theseus Casoperus Marco Antonio lucifero Bellimed. dño S. P. D.

EX literis tuis quas ad Decanum nostrum nuper miseras, intellexi operam nauatam pro re mea, gaudeo & sane

totus gaudeo tantum ac talem nactum fuisse negociorum curatorem, Deos rogauerim, vt ob beneficentiam in me collocatam, huberiores tibi fortunas elargiantur. Ipse meique omnes maximo opere tibi debemus, ita vt nullam vnquam gratificandi tibi simus ansam praeteriturі. Ex ijs etiam qui isthinc ad nos perrexerunt, compertum habui te nisi re nostro prospere gesta nunquam conquieuisse. Optime tu quidem, nam & pollicitis tam sedulo fideliterque stetisti, & quantum valeas apud principes omnibus palam ostēdisti. Qum ad Antistitem fratrem tuum qui Romae agit, Scribere volueris me obsecro admoneto, aut saltem hac tabellarium iter facere iubebis. Siquidem mihi opus est, ad eundem literas dare. & vale, Psychro Calendis Aprilis. M. D. XXXII.

Ianus Theseus Casoperus Camillo Turri suo.
S. P. D.

QVm istuc Decanus noster veniret gerendi cum comite negocij gratia, qui sermonem collaturus cum principe tuo, necessario perhibetur, amicitiae muneri consentaneum esse duxi, oblatam scribendi commoditatem non praetermittere. Itaq; te admoneo, quod recte valeo, tuique videndi desiderio ardeo, doleoque, quia longa itineris intercapedine seiungimur, quo vltro citroque dextra iungeretur. Spero tamē amicitiā nostrā vtrinque robur in dies validius atque felicius accepturā, arctiorique necessitudine auctum iri. ego (quod amici nō vulgares factitauerūt, vt alter opinionem expectationēq; de altero quam constantissimā & obsequentissimā imbiberet, plurimum de te mihi polliceor, foreq; confido, vt si necessitas po-

simulauerit, vtendi Camillo, mihi sis modis omnibus non defuturus. Tuæ partes erunt, si quid est, quod Theseus possit efficere, iubere alacriter, nam imperata faciam quam libentissime, nihil enim poterit esse iucundius, quodque mihi adduletur magis, quam operam tibi prodesse meam. Vale, meque ama, & principi commendato. Psychro Quinto Nonas Maij. M. D. XXXII.

Ianus Theseus Casoperus Saluatori Consuli suo.

S. D.

SCribere nequeo Saluator quanta me voluptas cœperit, vbi accepi, tecum feliciter agi. Nemo est qui isthinc venerit, qui industriam tuam vigilantiamque in colendo principe isto tuo non laudet, non admiretur. Innatam aiunt esse tibi dexteritatem atque elegantiam quandam ministrandi. Si perges, qua cępisti facile futurum coniecto, vt breui in ministerij munus honoratioris recipiare. Obsequere consilijs meis Saluator quæ (vt opinor) & fidei semper & beneuolentiæ plena reperisti. Post Deum principem istum tuum (quod alias si recte memini ad te scripsi) fidelis obserua. Illius etenim hac via potissimum in te serpet amor. & tu nouisti sicuti neminem Ferdinandus amauit vnquam, quem non ad sublime dignitatis & opulentiæ culmen euexerit. Scripsissem ad Annibalem nostrum Strabonem Virum patricium, nisi magni momenti alio negocia abstraxissent. Tu me illi quam maxime commendato, meaque causa crebris hortatibus impelle, vt me reculisque meis omnibus pro arbitratu velit vti. & vale, Psychro. V. Nonas Maij. M. D. XXXII.

Ianus Theseus Casoperus Camillo
Turri suo. S. D.

SAlue Camille nobilium & ruditorum decus. Præsentis negocij est, venientem Petrum fratrem istuc, in aula ducis militaturum tibi sedulo commendare. Si me amas, quod mihi persuadeo illum amabis, fouebis, atque illius commodum & laudem pro virili parte tutaberis. Et si quid ineptiarum in adulescentulo vtpote nunquam paternum larem egresso fortassis inuenies, quod parum decere videbitur sedulitate tua comitateque corriges, emendabis. In omnibus obsecro partes meas age, & ego ad vtranque aurem securus dormire potero. Nolim tamen credas, quicquam largitionis a principe nos expectare, Sed fratris tantum dexteritatem morum, qui istbic agendo poterunt expoliri, necnon principis beneuolentiam desideramus. Vale. Psychro. XVII. Calendas Iunij. M. D. XXXII.

Ianus Theseus Casoperus Marco
Antonio Lucifero Belliued.
domino. S. P. .D

DEbeo tibi ac vehementer debeo, qui qum Cosentię ageres, studium tuum omne posuisti rebus meis in componendis. Itaque opera tua voti pene extitisse compotem asseueranter affirmo. Dignus es hercle Magnifice Lucifer, quẽ vsque quaque vt Patronum optimum & amem, & obseruem, patuit & sane liquido patuit, quantum apud Mendocium habeas auctoritatis. Nõ iniuria, quippe qui gallicis copijs Neapolim nup obsidẽtibus, atque in liguria superioribus annis partes Cę-

ſarianas cõſtantiſſime ſectatus es, reiq; imperatoriæ & armis & fortunis non modicum profeciſti, atq; ſi neceſſitas poſtularet in præſentiarum prodeſſes. Quamobrem ardua omnia a præſide facile poteris impetrare. Me ipſum reculaſq; meas tibi offerre atq; polliceri ſuperuacaneum arbitror, & nõ neceſſarium, quando iampridem tuus fuerim, tuorumq; omniũ, & nihil ſit quod malim eſſe meũ, q̃ tuum. Et quia (vt audio) præſulis fratris tui nomine coram Pontifice optimo maximo Cæſarem piccolum prothonotarium accerſere Romam prope diem conſtituiſti, gratiſſimum feceris, ſi inſtitutum omiſeris. Immerito etenim vis hominem tui ſtudioſum tuæq; laudis (vt video) admiratorem, laudatoremq; præcipuum effuſiſſimũq; defatigare. Præbuiſti aurem fortaſſe delatoribus, & qui cuperent rem tuam illiuſq; turbari. Noli mi Lucifer amabo fidẽ vanis atq; male ſibi precantibus adhibere, memor ſententiæ illius. Neruos atq; artus ſapientię eſſe non temere credere. Et olim qum eſſem adoleſcẽtior, credulus eram plus nimio, proindeq; multoties decipiebar incautus, poſtea re ipſa cognoui, voces hominum eſſe plęrunq; lapſantes, inſidas. Ideoq; iureiurando ſanciui, Id mihi perpetuo obſeruandum, quod nõ audiam liquido, & oculis non videam nolle credere. Memineris etiam quia nulla vnq̃ iniuria laceſſitus (quod oportet virum bonum conſiderare) incipis offendere. Adde eundem qui valuit ornare, ornamentum tueri valiturũ. Impenſis igitur tantũ vexabitur, ſi Romam proficiſcetur, non autem pontificiarum immunitatum amiſſione multabitur, modiſq; omnibus exemptus a iuriſdictione præſulis reuertetur. Etenim magno emit, ac pluris, q̃ ſatis eſt. & (vt prouerbio vtar) aureo piſcatus eſt hamo. Tu ſine quieſcere, & coactum putabis (quod Magnanimi officium eſt) cogere potuiſſe. Sed inquies, frater iſte

praecepit. Quid mea. esto praeceperit. hac in re parere paeniteat, imo a consilio penitus auocaueris. Siquidem (vt scio) cui vnius arbitratu omnia tentat, omnia agit. Si me audies, habebo gratias, & hoc etiam nomine debebo. Vale, Psychro. IIII. Idus Iunias. M. D. XXXII.

Ianus Theseus Casoperus Antonio Thylesio suo.
S. P. D.

MIraris fortasse mi Thylesi cur praeter expectationem tuam atq; etiam meam Neapoli tam subita profectiõe decesserim, nec tibi saltem nunciauerim. Deos testor, atq; amicitiam nostram, nequaq; fuisse mihi animum discedendi, nisi te salutato (vt decebat) atq; prius tibi consilijs de abitu communicatis. Sed audi. Qum ad Martyriani ędes, atq; ad tuam peculiatiter aulam me contulissem, inueni obserata omnia, introeundiq; potestatem abnegantia, puero in vestibulo dũtaxat reperto, a quo accepi, te equum conscendisse, nec ideo quo destinaueras me potuit edocere. Itaq; inueniundi tui spe destitutus. Scis enim Neapolim esse pene syluam proceris abietibus arcũseptam vrgente auunculo, cui aeque ac patri sum immortaliter deuinctus, tum ob sanguinis necessitudinem, tum ob innumera in me collocata beneficia, vrbẽ istam tantopere exoptatam non sine gemitu derelinquere sum coactus. Et quaereres rationem? Non licet per epistolam quae intercipi posset, aperire. vt vt res habuerit, scire debes ex vsu fuisse in patriam repedasse. Non abnuo inquies, & tu rebus tuis didicisti probe consulere. Sed patieris ignobilem atq; inglorium in tenebris diutius delitescere? Abdica segnitiem

omnem Theseu, teq; assere. Sunt & aliæ Vrbes Neapoli (quod noui) forsan celebriores, atq; ad studia literaria ociosiores, vbi ingenium tuum poterit elucescere, Circũuenisti me, ita vt expurgare cessationem atq; Veternum nisi hibernæ intemperiei causatione non satis queam. Enimuero si vero nouo parauium contendero, nihil erit profecto quod in Theseo tuo debeas desiderare. Vale, & Coriolano præsuli, necnon fratri a secretis Regis iuuem Hercule prouinciæ nostræ ornamẽto atq; præsidio vnico me sedulo commendabis. Psychro Nonis Ianuarij. M. D. XXXIII.

Ianus Theseus Casoperus Cæsari plasterano iurisconsulto.
S. P. D.

Difficile creditu est quantopere doluerim obitum parentis tui viri sane multiscij, atq; integerrimi. tũ quia sentiebam ex interitu suo latinitatem iacturam nõ modicam esse facturam. Scio enim vt optimis disciplinis institutisq; q̃ plurimos imbuerit, atq; erudierit, tum quia me amice cõplexus est, & quantũ potuit vna tecum decori meo semper fauit, eoq; sum vsus religiosissime æque ac patre. Sed quando abũde clarus & honestus interijt, proptereaq; satis diu vixit, nõ dolendum vlterius existimaui. Et statim Epitaphium scripsi, atq; ad te mitto. si probaueris, e uestigio Sepulchro infigendũ curato. & dum cogitas Clarissimi Viri tot decora totq; virtute (quæ tua prudentia est) ægritudinem omnem quã concepisti. procul abigito. & toto nisu valetudini inserui, meminerisq; administrandæ domus onus omne tibi soli relictum. Psychro. V. Idus Ianuarias. M. D. XXXIII.

Ianus Theseus Casoperus Nicolao
Salerno Praeceptori.
S. D.

SCis (ni fallor) Praeceptor optime vt a teneris vnguiculis animo meo insitum fuerit desiderium ardentissimum veri videndi. Itaq; Idibus Septembris patriae vale faciens Sanctum lucidum mari Tyrrheno adiacens accessi, vt in Vrbem Romam quondam disciplinarum omnium, omniumq; bonarum artium altricem transmitterem. Audiui Turcarum triremibus totum pelagus praesertim apud Veliam, Circeiumq; obsideri. Spe destitutus, nam pedibus iter facere non assueram, proindeq; me tanto oneri imparem cognoscebam, iumentum conduxi vsq; Castrum villarum, & inde oppidatim aequo conducto Neapolim tandem perueni, Salutatoq; Sepulchro Vergilij Maronis, locisq; illis poetarũ carminibus illustratis, aleę fortunę commisso capite, ex mole Neapolitana nauiculam conscendi, Megarida, Nesida, Puteolos, Aenariam legens. Postero die nauigationis Caietam vectus sum, nauloq; exercitori soluto crepusculo matutino supra vires habitudinis pedestri me itineri accinxi, nam equitandi sumptus vlterius facere non poteram, Sacerdote conterraneo nostri admodũ studioso comitatus, transiensq; fundanum agrum, Taracinam, linternumq; tertia luce Velitras Ciuitatem (vt scis) Volscorum insignem vnde Diuus Augustus Octauius oriundus fertur fessus lassusq; veni. Sequenti luce Romę fui, & quia parua mihi pecunia supererat, nec sumptus studiorum viribus meis commode ferre poteram, per aliquot dies honestiori conditioni cuipiam comparandę per Curtium Virum doctissimum Franchinumq; a

ſecretis Sanſiuerinij Cardinalis vacaui inueni ſterilia omnia, vndiq; diffidentiam ſtudendi demonſtrantia. Vrbe vel tunc temporis Theutonum qui eam triennio ferme abhinc diripuerant, vaſtitate deſolatu. Ita vt etiā Gymnaſium frigidiſſimū nullaq; ex parte probatum inuenerim. Veritus ne ſi plus ocij illic abſumerem, re infecta redirem, deficienteq; viatıculo egere cogerer, ex vrbe diſceſſi vt Annibal ex Italia, frendens, fremens, gemens, videbam enim e manibus (vt ita dixerim) hilarem atq; feliciſſimam victoriam ereptum iri, conſilio ciuili ſapientiæ Neapoli dandi operam, nam illic ſperabam eris præſidium ex patria præſto futurum, nec aliunde pecunia poterat expediri. Vbi illuc me contuli Decanus auunculus qui forte tunc temporis apud aulam principis mei agebat, venerat enim iiſdem his diebus accerſitus a principe vna cum nobilium noſtratium manu, vt in Calabriam Deianyram aquinatem fœminam primariam & illuſtrem vxorem comitarētur, a propoſito me auocauit, & pene inde vi abduxit. Cui refragari atq; obſiſtere non potui, nec debui, tum quia in rem meam mihi perſuaderi videbam, tum quia inhoneſtum putauit beneuolentiſſimi hominis & de me inſigniter optimeq; meriti, rerumq; experientia prudentiſſimi recte atq; vtiliter conſulentis monitus aſpernari, præſertim qum in Patauino illo celebratiſſimo Atheneo neceſſaria ſuppeditare benigne pollicitus eſt, ſpeiq; pleno bonum animum fecit, adhibuitq; calcaria altiora tentandi. Habes peregrinationem meam. In præſentia ſum domi, tui vt ſemper, ſtudioſus. Pſychro VIII. Calendas Ianuarij. M. D. XXXIII.

Ianus Theseus Casoperus Agathio Basilio. S. D.

NVnciatum fuit mihi te Romæ magna Corona cum viris eruditissimis eloquentia illa tua attica disseruisse, & aduersariorum argumentationes a cuncto consessu plausu multiplici dato ter cōfutauisse, dissoluisseq; gratulor tibi equidem, qui sat fueris nostratem pontium publice profitentem ab errore in quem per incuriam (vt audio) lapsus fuerat, vindicauisse, proptereaq; prouinciæ nostræ suum decus restituisse. Certo scito nonnullos inuidia rumpi, auctoritatiq; tuę clanculum detrahere. Res bella est profecto, & quæ vel Heraclito Cachinnum eliceret, qua opera quo ingenio nauci Semissesq; homines ciuica te quam non iniuria meruisti fraudare contendant. Tuus labor erit, rem quam incępisti nauiter patrare, nec longioris temporis maturiorem occasionem expectato, quando omnia sint in vado. Vltra mandragoram (mihi crede) dormiuisti. Hæc hora admonet somnum penitus exterminare. perpulchram atq; te dignam rem aggrederis. Decet te nimirum qui a pueritiæ ferme annis Romæ & alitus & peregregie institutus omni ex parte Romanum agis virum, & beneficiorum & iniuriarum memorem esse debere, nullumq; tempus & locum omittere, quem subsessis accōmodatum perspexeris. Dum pluit (monemur adagione) molendum esse. Contra Vulpem mi Basili fraude atq; astu, cum Leone oportet manu strenue dimicare. De his hactenus, scire cuperes forsitan quid mecum agatur. Vbi Roma regressus sum, Psychro nostra nunq; discessi, agoq; ætatem sub obscuram, & nullius ferme nominis. Non assentio tibi interpellanti, atq; in aurem paulo licentiosius immurmuranti, in

vrbe totius orbis emporio potuisse me tollere humo, noluisseq́; solum solo vertendi mera identidem leuitate impulsum. Væh mihi misero. Tentaui profecto viam summa ope, sed reluctantibus fatis (quod affirmare audeo) qui potest fieri aliquid recte? Laudabas Romæ Gymnasium vanus hercle mendax q́. At qui de humanioris disciplinę studijs te locutum affirmas. præter spem omnia. Leges enim quibus ego operam dare constitui, silent Romæ, audiuiq́ sexcenties dum ibi erã, neminem qui legibus Romæ paucis abhinc annis inseruierit, iureconsultum euasisse de doctis loquor, & ego mallem esse vel agricultor, vel si mauis opilio, q̃ inter non receptos connumerari. Alta peto, & si audaciæ parum fortuna respondet Ciceroniana illa sententia quam Columella exscripsit constantissime me defendam. Summum culmen affectantes satis honeste vel in Secundo fastigio conspiciemur. Addo etiam millia Romæ abnegatum iri, sine quibus compos voti esse non poteram, eaq́ omnia quæ mihi literæ tuæ promittebant, constabat infeliciter defutura. est tamen est aliquid cantatum Tybridis alueum, & rerum dominę vidisse palatia Romæ. Hic vbi Saturni fanum, pacisq́ sacellum extat adhuc, veteres monstrat Tarpeia triumphos atq́ arx, ignauo calcar stimulusq́ Nepoti. Phidiacum aspexi marmor, marmorq́; politum pollice Praxitelis, rigidiq́; animatus Catonis Oraq́; Scipiadæ? Felicis & ora Metelli. Clauigeri atq́ ædem, gemini molemq́; Colossi Cæsaris inuicti (vulgus si vera fatetur) Vergilijq́ domos, atq́ ingens amphiteatrum, Atq́ boues Lucas, Pantheram, indaxq́; volucres, villosumq́; genus deforme ferumq́; bisontum. Sed vlterius q̃ destinaueram cecini, longiusq́ ex tempore compositum carmen tibi narraui, nunc ad solutum orationem redeo. Pluris

facio medius fidius ista noui ſſe, q̄ ſybariticarum deliciarum in dies mihi copiam ſuppeditari. Neapoli res mea non patiebatur, vt commorarer, qum diſplicentibus mihi ſummopere moribus vrbis, qui varij ſunt, & multi, tum aliam ob cauſam, quam (vt arbitror) intellexiſti, aut ſaltem intelligere potuiſti. Sed non omnia ſunt literis committenda. Nolim tamen exiſtimes hic me perpetuo permanſurum. quando diu noctuq; extimulor Trophæis Milciadis vt cum Themiſtocle loquar. Autumo animi mei receſſus omnes tibi patere, licet Sphingos ambages inſeram. Turpe eſſe dixit Ariſtoteles tacere, & Iſocratem pati dicere. Vnum id animum noſtrum angit, torquet, vrit, continueq; male habet, q necessarijs indigeo, & inops quod non te fugit ſupportandis ſtudiorum oneribus atq; laboribus cenſetur ineptus. Poſſem fatis merito ſuccenſere: quæ patruum magnum Vrſinorum familię q̄ gratiſſimum, qui me ingenita benignitate fouiſſet, nondum Senectam ingreſſum abſtulerunt. Reſtat Auunculus ſane opulentia apud noſtrates celeberrimus, cui animus eſt itidem de me benemereri. Enimuero Nepotum cęterorum, quibus elargiri plurima neceſſe eſt, aliorſum vrgent incommoda. De patre qui plus animi habet q̄ Virium, non facio mentionem. Vtcunq; Apologi Aeſopi phrygis fabulatoris de Caſſita auicula memor, Dędalum agam, vt vel ęmuli abunde mihi factum eſſe prædicent. Nullum tempus virtutibus capeſſendis ſerum eſt. Vale, & Octauio Vincentioq; fratri, agnatis tuis, qum Sanctum lucidum acceſſeris commẽdationem aſcribe. Pſychro. VII. Calendas Februarij.

M. D. XXXIII.

Ianus Theseus Casoperus Agathio
Basilio. S. P. D.

SCripseram ad te superioribus diebus,tu respondisti re ipsa quatenus desideraueram. Non possum nõ admirari sedulitatem tuam. Scire poteris ita turbatos nouitate rerũ veteratores illos,vt scrutentur latebras,vbi possint tutius occultari. De cętero cogita, qui vir sis, intende neruos,vt Ciues aperte cognoscant te esse eundem,quem toties inimicorũ consilia pręuenisse,dissipauisseq; animaduertimus. Campum habes grassandi patentissimum, Habes & eum patronum,qui Carolo Cęsari ita est acceptissimus,vt augendi sui opportunitatem nunquã praetermiserit. Hoc te admonuero,qum hinc elapso Septembri proficisceremur,vt deinde compertum habui, capiti nostro insidias ardelionem illum parauisse. Nemo est profecto mi Basili, qui omnibus horis possit sapere. At qui inquies, gerras siculas narras. Esto quod vera audiuerim,nunquã nihilominus prospere sibi cessisset. Scis enim factionem aduersam esse imbecillam admodum atque infirmam, saepissimeq; a nostris malegrauiterque affectam. Plura scriberẽ, sed sat scripsero, si te cohortabor, tibiq; persuasero tandem. vt Menodocio sis assiduus. & bene vale. Datae Psychro. VII. Idus Februarij. M. D. XXXIII.

Ianus Theseus Casoperus Hadriano
pennę cęlicę. S. D.

MIrabile memoratu est quantopere doluerim digressione principum,aulicorũque primatum, tuique praesertim, Cum quo mihi dulcis fuerat vitae consuetudo, atque vna

de Pallade plerunque, interdum de Cupidine & Venere sermonem hilarem ac lepidum conferebamus, & nisi certissimam spem suscepissem exacta aestate vnde discesserint, reuersuros, perturbationibus remedium non inuenirem. Vereor & sane non parum vereor, ne aeris intemperie Principes contrahant aegrotationem. Tuum est qui Hippocratis atque Galeni monumentis euoluendis a pueritia sedulo inuigilasti, proptereaque inter famigeratos atque primarios medicae artis professores non vltimus euasisti, dare operam sanitati dominorum fideliter conseruandę. Inde etenim pendet salus subditorum. Nobiscum profecto bene erit, si egregie valituros principes vna cum illustri progenie intelligemus. Stude etiam ad Citissimum reditum hortari, atque impellere, quando hic vehementissime desiderantur. Vale, & Francisco regulorum praeceptori iuueni plane docto, & moribus commodis probatissimo ex me salutem dicito. Psychro. VII. Calendas Maij. M. D. XXXIII.

Ianus Theseus Casoperus Hieronymo Thegano suo.
S. P. D.

PEtijsti a me vt per epistolam enarrarem honestiores nostratum familias. Ego & si adulescens homo non adhuc probe nouerim primordia nobilitatum, tamen quantum pro captu sedulę explorationis a senioribus didici, qui a patribus rem fideliter accepere, haec comperta habeo. Vrbem nostrã a paganis qui ad radices promontorij templi Iunonis Laciniae toto olim orbe terrarum celeberrimi habitauerant, coepisse propagari. Etenim antea maiores nostri vicatim nullis

fossis muroq; circundati in latis & amœnissimis laciniis campis degebāt. Postea pyrrhatarum incursu, qui omnem oram litoralem Rhegynorum & Crotonensium latrociniis infestabant, parua loci intercapedine sedes mutauerunt. Itaq; relictis pagis in montana tanq̃ in asylum confugerunt. Cęperuntq; quadringentos aut eo plus annos exędificare vrbem, & q̃ esset ventis omnibus, & præsertim Aquiloni atq; euro exposita psychro græco vocabulo appellauerunt. habuit initio angustissimos fines, cępit enim primitus ad eam tantum viciniam coli, quæ nunc diui Ioannis vulgo nuncupatur, & ad hanc vsq; diem laciniorum durat agnatio atq; gentilitas, a loco vnde digressa est, nomen retinens. Vertentibus postmodum annis conuenarum frequentia cępit augeri & diuibus, & facultatibus. Itaq; tempestate nostra in Calabria Psychro memorabilis est, vigentq; in ea complures nobilium domus, quorum maiores vel opulentiæ vel militiæ gloria, vel quod potissimum & præcipuum est nobilitatis genus liberalibus artibus literarumq; excellentia nobilitatem sibi suisq; nepotibus pepererunt, plæræq; tamen insignes familię exterę sunt atq; aliunde profectæ, vel soli hubertate allectæ, vel cęli temperie saluberrima. Inter quas Bizantios ducentis ferme ante annis, a, Bizantio totius Græciæ Metropoli quam nunc Constantinopolim appellamus accepto nomine a Constantino, qui relicta Vrbe Roma ibi Sedem Imperij sui posuit vna cum Imperatore venisse constans fama est. Viri sane nobiles & opulentissimi, qui nunc perexigua boni eximijq; generis vestigia obseruant, potioremq; agnationis dignitatem vacuefecerunt. Aiunt ex Bizantijs quendam iureconsultum illo æuo primarium cum Crotoniatarum principis tunc temporis regulorum Neapolitanorum longe potentissimi nepte

illustres nuptias celebrauisse. Verum enim uero fortunę inuidia quae altiora inferioribus subinde mutare gestit, ex summo fastigio audiuimus hanc prosapiam misere, infeliciterq́; deturbatam. Itaq; eorum posteri egestate coacti agricultores plęriq; euasere. Pauci ad indignius forsitan opificium prolapsi sunt, contenti solis antiquitatis insignis. est & familia Castellorum, quae a castris Annibalis ad nos se contulisse perhibetur, fuitq́; habita apud patres nostros nobilis, & in praesentiarum habetur, licet ad humilia illa etiam deuoluta fateri erubescat sanguinis honestatem. Vide quantum facit patrimonij tenuitas, solę diuitię non auare non sordide custoditę possunt arbitrio meo conseruare nobilitatem, quā solę nequiuerunt acquirere. Sunt & Zoleę inter primates connumerati, Addo & Papaianos & Papandros, qui a gręcorum Antistitibus genus ducentes nobiles habentur. Ex quibus Alouisius Papandrus vir cordatus, senectutis admodum reuerendę, summae prudentiae in vrbe nostra exemplum est singulare. Hunc Fabio Maximo Catoniq́; rite possem comparare, tantum in eo viget ingenij Sapientiaeq́; prope mirandę patrię commoda ea diligentia ea alacritate curauit, Curatq; hodie, vt nullum vnq̄ tempus & locum ociosus omiserit agendi gnauiter, vigilandi, sudandi pro salute & conseruatione Reipublicę, Vir merito ante omnes patriae parens nuncupandus. Hic sexcenties vsui consulens vniuersorum bona sua omnia vitam deniq; posthabuit, contempsit, discrimini certo exposuit. Vidi equidem virum senectute confectum, corpore male habentem. Superioribus annis qum Gallicus Rex & Illustrissimus Venetiarum Senatus in Neapolitanum Regnum hostiliter irrupissent, quantum laboranti patriae saeuientibus bellorum procellis fuerit, conduxerit,

profecerit, non manu, quando ad arma capessenda sit inualidus, sed consilio non oscitanti, sagacitate, qua tempestate nostra senes omnes excellit. De hoc hactenus. Bibaquas orientalibus populis nescio quibus iura dedisse vulgatum est, Inde immanissimi Turcarum Tyrāni ui expulsi in eam Calabriæ partem quæ nunc patrio gentis vocabulo Cruculi Turricula dicitur, magna iactati tempestate nauigio aduecti sunt. Diuersi diuersas Italiæ reigones occupauerunt, plurimi ad Samnites profecti, pauci Psychron inhabitauerunt, & ꝙ parentum quispiam suorum fuerit aquæ potor sicuti Apollonius ille Thyaneus Bibaquas nomine consentaneo rei vocauerunt. De .S. parum magnificæ vulgatum est, alij alia retulerunt, cui fides sit habenda non video, vtcunq̃ sit, ætate nostra nobiles iuxta ac splendidos esse vel iniurato credideris, cumq̃ nobilioribus domi forisq̃ nouimus non semel matrimonium contraxisse. Spoletinorum progeniem vnde mihi genus ex matre procedit mallem alijs q̃ mihi ipsi literis memoriæq; mandari, ne memet penicillo meo coloribus meis (quod est admodum ineptum) pingere videar. Sed quoniam Historici hoc loco vice fungor, proptereaq̃ mihi necesse est rei fidem absoluere, altiuscule ordiendū est. Spoletini fuere olim viri Clarissimi atq̃ Illustres, dederūtq̃ pluribus alioqui obscurioribus opum & claritatis initium, ex Vmbria quæ nunc ducatus Spoletinus dicitur vbi diu dominati sunt, In Calabriam profecti opulentia quidem multiiuga refertissimi, Sed satis primæ sortis recordatione afflicti, quippe qui priuatos agebant, literis & armis q̃maxime floruerunt, quod eorum diplomata libellosq̃ legentibus manifeste patet, acceptissimi Aragonijs Regibus, a quibus beneficia non vulgaria obtinuerunt. Postea fortunę iniuria plu-

virum diuitiarum amiserunt. Itaq; illa nobilitas quæ multis ante annis suam habuit celebritatem atq; splendorem fortunarumq; cumulatissimarum fultura altius iecerat fundamenta, fueratq; validissime innixa, vt ęgre credi potuisset vnq̃ ruituram paulatim cępit labi. Hercule qum hęc considero penitus obstupesco, adeo fragilis rerum humanarum status est, vt nil spei sit in imperio, atq; amplissimis opibus collocandum. Extranea omnia, mille casibus obnoxia, nec generi nec rerum copię fidendum, qum & vbiq; gentium nobilitatem sæpissime & diuitiarum gloriam fęde collapsam aspiciamus. Verum est Ciceronianum illud. omnia caduca, incerta, mobilia, virtus est vna altissimis defixa radicibus, quæ nulla vnq̃ ui labefactari potest, nullo vnq̃ dimoueri loco. Virtus vna minas omnis, omnisq; temerarios fortunæ flocci facit insultus. Spoletini igitur qui fortunas pristinas perdiderunt, virtutes & disciplinas perdere non potuerunt. Audiuimus Antonium Spoletinum iurisconsultum ætate illa celeberrimum post ętate charissimę coniugis funus Cęlibem sibi vitam indixisse, sacrisq; initiatum fuisse, atq; a Pontifice optimo maximo Crotonensium pręsulatum aliaq; opima Sacerdotia accepisse, diuq; vigilantissimũ episcopum (Sobrium, incorruptum, & circũspectum egisse. Cęteri literarum parum studiosi, ita vt fortuna (quæ sua est proteruia & inconstantia) cum illis inimice se gerens, quæ sui iuris non fuerint pauca admodum ac pene nihil inuenit, plurima sibi iure optimo vendicauit. Nostri moribus castigatissimis ac integerrimis virtuteq; (quod non te fugit) heroica, præcipueq; Venerandus Antonius Auunculus Sacerdos & ipse, vir omnibus (vt vera dicens libere fatear) virtutum numeris absolutus nobilissimo generi vel optime responderunt. Hæc de

Spoletinis qui certe viri sunt antiquissimæ nobilitatis. Matulonorum claritatis initia licet summo studio inuestiganerim hactenus inuenire non potui. Sit sat describi in albo nobiliorum. Non erit mihi silentio prætereunda familia nostra Casoperorum, nec mihi vitio vertatur, si præconem non adhibuerim, hic est locus vera profitendi & apud Historicos scriptum legimus. Cæsarem quæstorem Iuliam amitam paternumq; genus, vxoremq; Corneliam defunctas oratione pro rostris laudauisse. Nobiles profecto fuere nostri, suntq; (vt vides) hodie, studiorum præcipui sectatores, & præter cęteros ingeniorum cultores. Exploratum habeo e lupijs Salentinorum Metropoli Crotonem maiores nostros aduenisse, & diuitijs & nobilitate spectabiles. Causa mutandæ sedis fuit dominorũ impotentia, atq; auaritia. Pars Melissum propinquum oppidum secesserunt, vnde consanguinitatis arbor in feracissimum hoc amœnissimumq; solum dijs bonis auspicibus trãsplantata est. Tarentinos ex Tarento maxima felicissimaq; maritimarum eo tractu Vrbium profectos non pœnitendę fuisse nobilitatis audiui. Amalfitanos ex picentia in Calabros aduentasse comperio, a viris insignibus ortos, nullosq; me hercules video in vrbe nostra, qui generis splendorem re ipsa solidius tueantur. Non omittendi mihi consilium est familiam piccolorum sane celebrem, nec assentior illis qui ęmulationis atq; inuidiæ studio nouos homines esse contendunt dicendum porro est e rerum copia plurimum eorum nobilitati accessisse. Costos, ferrarios Theganos tuos vel memo inuito nobiles appellabo. & quod nam decentius nobilitatis genus q̃ doctrina, cui nec vniuersa quidem persarum gaza est conferenda obscuris maioribus pręluxisse, suisq; rebus gestis florere? Funaros, Bonaiutos? Mascanbronos, Bernardos,

lanos, Cartelleragios in eadem causa habeo nobilitatis, laudatos enim vbiq; comperio, & si apud omnis generosi habentur, nec nos quod malignitati proculdubio posset ascribi dignitate sua fraudare debemus. De fungis, crassis, Albucanis, petrapaulis, Barberijs, Collucijs, Pamphilis, Lilijs, Candeis, Riscitanis, Basamis dubitatum video, alij alia. Iudicio meo nec inter patricios, nec inter omnino plebeios numerandi, nec illis ius nobilitatis omni ex parte auferendum, nec concedendum. Cui parti debeant verius adiudicari non satis intelligo, futurum tamen coniecto vt in posteros nobilitate donentur. Cosmum vero Basamum qui sacrarum literarum ac summę philosophię peripateticę doctor est excellentissimus non nobilem modo. Sed nobilissimum esse contendo. prętericram Ioacchinos homines (quod asserunt) splendidissimis natalibus ortos, genus referentes ad Ioachinum illum Cosentinum prophetico spiritu afflatum, res profecto creditu digna, quando e pagis Cosentiæ vbi plurimum ætatis Vir Deo charus exegit Ioachinorum familiam oriundam audiamus. Nouimus etiam (quod non parui est momenti) cum Sannazarijs Cisalpinæ galliæ primoribus affinitatem iunxisse. De Carosijs mentionem facere pene me cepit obliuio, qui & ipsi claros atauos habuisse memorię proditū est. Suntq; hodie melioribus Ciuibus annumerati. Nec tacebo quos tu antiquitatis non incuriosus admirari soles, gręcos & quidem nobili prosapia oriundos, ex oriētali regione ad nos septuaginta abhinc ferme annis profectos, detrectantes iniustam ac crudelem Tyrannidem Imperiosissimi Turcarum Regis. Audiui etenim in Vrbe, Vrbe inquam illa quæ in præsentiarum a Cæsarianis militibus detinetur fuisse magnæ existimationis, sed iniuria temporum plurimum cla-

virtutis amiserunt, sed non perdiderunt, si quidem virtute, ac moribus integerrimis D. tui decus omne auitæ prosapiæ ex solido restitutum esse videtur. Non tamen te lateat velim, domos alias floruisse, quæ nunc extinctæ penæ sunt, & vix nomina restant, tantum æui longinqua valet mutare vetustas, vt familias totas voluentibus annis & morti & obliuioni dedisse miremur. Tripolitani, Paternoi, Meraldi, Cannigrues, Piccicę, Principatus apud antiquiores multi nominis extitisse narratur, si qui sunt hodie qui cognomine hoc appellentur exiguæ sortis atq; humillimos esse videmus. Hæc audiui seniorum relatu de Psychronęis Nobilioribus, Tu mi Hieronyme qui literarum ac pietatis semina a puero feliciter imbibisti, multumq; in humanioribus studijs pro ætate ista tua progressus es, proindeq; sustines non vulgarem expectationem nitere omni conatu diu noctuq;, vt possis hosce omnes longe superare Fide, Iustitia, Temperantia, cęterisq; virtutum fructibus, & tunc veram non simulatam fucatamq; nobilitatem nancisceris. Prętr literatos & officiosos affirmo paucifaciendos omnes. miserū est (dicente Satyrographo) alienæ incumbere famæ. Quid genus strepere oportet? Si primordia auctoremq; Deum spectemus nullus degener extat (vt cum Boetio loquar) ni vitijs peiora fouens, proprium deserat ortum. Noli maiorum opinione niti, Noli frugem tam spectatam tam probam vulgarium erroribus deprauare, qui neminem honore atq; existimatione dignum putant, nisi qui fumosas suorum imagines in armarijs ostendere possint. Consideratur non eo inficias, quam quis generis originem sortiatur, sed attentiore cura dispicimus, metimur quibus sit moribus atq; artibus institutus. Inueni igitur marte tuo mi dulcissime Hiero-

nyme nobiliorem nobilitatem virtutibus, & disciplinis, in quibus excellere pulchrum ducamus. & te externis laudibus innixis nobilibus his anteferendum vel grandi deposito contendam, proptereaq; plurimum amabo, plurimum obseruabo, atq; habebo semper nobiliorum longe nobilissimũ. Vale, Fui verbosus quia res exigebat, & quia omnia hæc ingrata tibi futura non existimaui.

Ianus Theseus Casoperus Cosmo Basamo Sacræ Theologiæ doctori. S. P. D.

BLondum Fauium tuum cuius lectione mirificæ sum delectatus, concinne enim scribit historias ab inclinatione Romanorum Imperij magna ex parte lectum fortasse inopinum remitto. Ad vsq; vmbilicum (vt aiunt) percurrere nequiui, auidus rem alienam propere restituendi. Inquies non rem alienam susceperas, sed tuam perinde ac meam, amicorum enim omnia literatorum præsertim debent esse communia. Verum id quidem inquam quo ad alia, sed supellex libraria non ita facile ex æquo est inter etiam amicissimos diuidunda. Minime profecto ex animo loqueris mi Cosme, etenim rite noui te, qui soles libros commodato datos vel ante diem præscriptum importunius aliquanto seueriusq; repetere, ac legentes turbare, Sat tenuisse vociferans. Adde q abunde mihi constabat magno tibi esse vsui, atq; honestæ voluptati, qum Aristotelicis studijs fatigatum animum, Scotiq; (vt peringenue ac belle fateris) tenebris inuolutum ad historiarum identidem oblectamenta deflectas. Apud autorem si plæraq; omnia laudauerim, vtpote venuste,

Luculenter, vere atque ex historico narrata stilo mireque cō ducentia, quod tamen in belli Gothici libro Sexto Ruscię Castelli, & Rusciani vrbis mentionem facit, me apprime delectauit, Vrbs enim loci ingenio munitissima apud Calabros famæ celebris, tanta fuit ijs temporibus situm literis patientibus scriptorum raritas atque; malignitas dicam potius an rusticitas? nisi vnus Procopius memoriæ commendasset, quo Blondus tuus & nunc fortasse etiam meus vsus est, fuisset ignobilis. Vale.

Ianus Theseus Casoperus Andreę Triuisano patricio Veneto.
S. P. D.

LIteras quas ad Leonardum legum doctorem miseras, dedi. promisit operam nauaturum. Itaque; pridie curauit negocium, atque omnia sedulo a collegis didicit, teque; admonuit, vt retulit, quo pacto commodius rem omnem curare queas. Tuum igitur erit opportunitatem oblatam non prætermittere ne alius occupet, nam & Marcello qui me habet inprimis charum, beneficium mirificum contuleris, meque; ipsum quem seruitio tuo tuorumque; omnium totum deuoui, perpetuo deuincies arctissime. Si operam impendis, facile impetrabis. Siquidem patricius es inter nobiliores Venetos insignis, inter legum doctores eminentissimus, atque; idcirco patricij omnes, & Serenissimus etiam ipse gratificari tibi magnopere cupiunt. Memento Vir Magnifice Nobilium esse proprium sui studiosis vel sponte fauere, atque patrocinari, præsertim vbi rei nihil impenditur, quumque; libuerit mihi significare, literas ad me perferendas ad ędem Diui Antonij

curato, meoq; nomine generoso parenti tuo Aristrocratiæ Venetę decori atq; præsidio vnico, necnon germanis omnibus commendationem ascribe, habetoq; me obsequentissimum Clientem. Vale. Patauij Octauo Idus Nouembris. M. D. XXXIII.

Ianus Theseus Casoperus Cosmo Basamo Sacrę Theologię doctori. S. P. D.

NAuigationem meam longiorem sane q̃ speraueram mi Cosme paucas attingam. Vt primũ e Crotonensi mole solui, lacinium nostratemq; agrum pręterlabens Tarentum postera die vectus sum. ante tamen valida pelagi fluctuatione iactatus. Qum illic essem Tarentinorum molliciem improbaui, quippe qui voluptatibus totum diem impenderent. Inde digrediens terra, prima luce Iouiam oppidum, sequenti piscosi Mœnia Bari accessi, ibiq; decem dies commoratus sum, commodę nauigationis opportunitatem expectans. Interim Diui Nicolai patroni impollutum Corpus, innumerisq; miraculis decoratum suppliciter sum veneratus, & rite exolui votum, quod voueram, aderatq; homo Crotoniata, addo & alterum prouincialem rei suę deparcum, Cętera neq; inuenustum, neq; insulsum. Ex Bario nauigium quod forum Arrij nauigabat, ascendi, perq; duas noctes totidem dies maris tranquillitate nimia modicum ac ferme nihil progressi sumus. Nocte tertia pręcipiti violentissimoq; Noto in longe remotas regiones acti sumus, ita vt paruo temporis spacio chaoniam prospexerimus, epidauriq; tractus. Qum postmodum pharię apud Dalmatas morã tra-

heremus. flante Borea qui Venetias nauigantibus contrarius est, cumque nonnullis primatibus sermonem obiter (vt adsolet) literarium conseruissem, approbantibus forsitan ingeniolum nostrum literaturamque, quam ego semper admodum tenuem existimaui, conditionem profitendi sane pinguem opimamque atque honestissimam obtulerunt. Respondi cupere me maximo opere eorum voluntati morem gerere. Sed esse iureiurandi religione charissimo patri Auunculoque obstrictum, legibus addiscendis inuigilare. Verum ante alios Franciscus Palatinus Vir doctus & optimatum longe optimus cuius filius Patauinæ legum Academiæ in præsentiarum Rector est, sedulo instare, mihi suadere, maximo vsui fore rei meę, hospitioque suscipere, & ad lautissimam cęnam inuitare. & id agebat opinor, quia filium habebat adulescentulum apprime modestum, atque eruditulum, sperabatque me doctore Fidelius ac certius erudiri. Ego vero constantissime incępto operi insistebam, meque quanta poteram dexteritate decentius excusabam, ita vt importunius alioquin sollicitante, penèque obtundentes a me non rusticæ non superbe non impudenter amouerim. Inde digredientem Iadram vrbem profecto nobilem Ventus felicissimus appulit, ibique ante omnia Simeoni laudem dixi, illi inquam Simeoni, qui responsum acceperat a Spiritu sancto non visurū se mortem, nisi videret Christum domini. Quid tum postea interrogabis? Circuiui deinde mœnia allectus pulchritudine loci, Vbi triremes Venetorum inueni, quę (vt aiebant) contra piratas Turcas coniurauerāt. Inde profecti Rubinum in liburnis, & tandem spacio diei vnius quarto nonas Nouembris quum vita functis Catholica Christianorum Relligio soluit inferias, parentatque, intrauimus Venetiarum Vrbem

Italicarum omnium longe opulentissimam Vrbem admiratione dignam, vtpote quæ paucis sæculis ad tantam potuit felicitatis amplitudinem peruenire, vt plurimæ & eæ quidem vicinæ remotissimæq; etiam ac ditissimæ regiones vnius subijcerentur imperio. Iurarem Dei manibus ædificatã, ita vt hominis ingenio & viribus nequeat expugnari, & ne obsideri quidem. Venetijs biduum mansi apud Pandocheum vt ferme plerique omnes alienigenæ. Ad nobiliores quospiam quos mihi amicorum literæ nosque ipsi etiam nobis quatenus pro temporis angustia licuit, conciliauimus, licet secum habere contenderent, quia eram proxime recessurus, diuertere nolui. Ad vesperã ex Riuo alto nauiculam conscendi, & summo mane patauium disciplinę totius seminarium ingressus, e uestigio Ianum nostrum bacalaureum hominẽ hercle humanissimum adij. Suscepit me hospitio hilariter atq; benigne licet inuitum, nolebam enim studijs enixissime vacantem interturbare, sed preces coegerunt vt moremgererem, aliter offendissem. Quid aliud scribã non habeo, postquam errorum finem audiuisti. Vbi nouę rei aliquid suppetet, te (si erit tabellarius) admonebo. Tu isthinc vel quid agant Culices & Simię me certiorem facias, si me amas. Vnum scito, & legum & artium omniumq; profecto studiorum Academias hic (vt consueuerunt) esse felicissimas. sed rei frumentarię caritate maxima laboratur. Vale, meq; amicis omnibus non vulgariter commendato. Patauij Quarta Lucę Decembris. M. D. XXXIII.

Ianus Theseus Casoperus Marco
Antonio magno suo. S.

DEsideraui semper maximo opere Patauij agere, Vbi ciuili sapientię quietius expeditiusque vacare potuissem. Itaq; si memoria tenes, tibi consilio prius communicato in Venetos tanquam ad mercaturam bonarum artium profectus sum. Quibus primum Venetiarum Vrbem extollam, verba non habeo, tanta excellit diuitiarum ac gloriæ dignitate. Patauium quas athenas mutato nomine decentius appellauerim, omnigenorum præsertim studiorum celebritate laudauerim. Quid nam agam interrogares? Studeo mi Magne legali philosophiæ, Verę inquam philosophię (vt vtar verbis Vlpiani) nō simulatę. Eliminaui Musas omnis, quæ me adulescentem plusquam satis erat, oblectauerunt, nisi mauis credere, me vt indignum a Sacrario Musarum expulsum, nihil mihi commercij est cum humanioribus disciplinis. Cottidie Iuliani, Modestini, Caij, Iaboleni cæterorumq; responsis addiscendis inuigilo. Si quid horum ex lectione non recte perceperim (quod vt ingenue fatear, sæpissime vsu venit) ad Bartoli, Pauli a Castro, Alexandri, Addo Socini ac Iasonis commentaria confugio, & si olim sub puluino mecum habere consueueram paruulum Vergilij, aut Ciceronis, aut Salustij Codicem, & ab eorum lectione sicuti Alexander ab Homero, & a Cyri pędia Aphricanus Scipio non poteram amoueri, nunc semper in manu est sinuosus Codex Cæsarianus. Solis vero diebus quos Dominicos appellauere maiores, quibus non patet aditus ad scholas, sesquihorę ferme spacio Franciscanum audio dialecticorum libellos interpretantem. Non parum enim conducere video Logices saltem

rudimentis initiari, quando in disceptationibus ingenio vim atq; argutias subministret, atque e latebris in harenam prodeuntem nescio quo modo animosiorem efficiat, ac confirmet. Velim tamen intelligas sicuti Pyrrhus ille Neoptolemus paucis volebat philosophari, ita me paucioribus syllogizare in animo habere. Quo ad Leges pertinet, licet ex eis non mediocre negocium ac fastidium afferatur, inficiari enim nec possum, nec debeo, quantum sit creber in obscuris locutionibus Aphricanus, Paulus, ac Scæuola, quot multiplicet quæstiones Bartolus, quot contraria sentiat Accursius, qum tamen & inter carduos plerunq; lilia nasci cernamus, Ita & mihi inter tot labores non nihil aliquando capitur voluptariç suauitatis. Sed quicquid sit omne desiderio tui mi Magne redditur asperum, atque iniucundum, & qum relaxare animum paulisper cupio, non possum, identidem videtur animus alloqui, qui potes tam multa miliaria diuisus a Magno, a Magno illo tuo quem vnice diligis ac singulariter interspirare? Hos affectus suauissime Magne magna ex parte sedabis, si literis me tuis (vt scis) semper expectatissimis imperties, non laconicis sed atticis attico illo tuo lepore conditis, non vnis aut binis sed centenis. Interim ama me, ama inquam vt soles meque Illustrissimo Principi non vulgariter commendato. Et si quid his in tabellis inconditum ac parum latinum inuenies, æqui consule. Etenim si male scribebam, qum maxime Marco Tullio tuo ac Maroni dabam operam, quid nunc me facere arbitraris, qum semper natet in ore guerra ac tregua rarissime bellum & induciæ, cçteraque id genus vocabula, quæ recentiores ac nostri temporis Legum doctores reponere consueuerunt? De iurisconsultis longe aliter sentio, quippe illi & latinissime &

proprie significanterque locuti sunt, digni sane quos vnusquisque qui voluerit a barbarismo solęcismoque linguam vindicare suam, debeat imitari. Quibuscunque verbis nostra scripta sit epistola indulgendum putato, atque amicitię tribuendum. Vale, Patauij ex Antoniano Collegio Septimo Calendas Iunij. M. D. XXXIIII.

Ianus Theseus Casoperius Nicolao Costo pontificij iuris doctori.
S. P. D.

QVm esset ocium a lectionibus Nicolae optime. Solemus enim (vt scis) dominica ascensus solennibus feriari, & plęraque pars scholasticorum Venetias proficiscitur, Siquidem ibi terra marique ludi eduntur. Ipse quoque illuc me contuli, negocij quod erat ex re mea, componendi gratia. Interfui Cærimonijs ad ædem Diui Marci, interfui Naumachiæ ac ludis omnibus. Sed præclarius arbitrio meo spectaculum erat, tot patricios purpuratos, tot Holosericatos patres, Ipsumque Principem vere aureum ordine illo pulcherrimo incedentes, necnon fori Arrij Ducis vxorem, galliarum quondam Regis filiam magna virginum multis modis ornatissimarum manu stipatum, quæ spectatum & ipsa nuper venerat, intueri. Qum Venetijs essem, audiui Paulum Triuisanum tuũ Virum Patricium, ac Senatorem optimũ superioribus diebus naturæ concessisse. Vicem eius sane moleste tuli, nam me diligere ac fouere incęperat. De V. quid scribam nescio, mirus est profecto homo, sui copiam nunquam facit, Itaque nondum noui hominem, qum illum alloqui volebam, moris tibi gerendi gratia, fingebat se motu

corporis contra naturam quam febrim appellant vt vtar verbis iurisconsulti in .L. Quæsitum de re iudi. Interdum stomachi dolore molestari, proptereaq; referebat qui pro foribus astabat, admittere non posse, quia non posset me decenter habere ægrotationis mole prostratus. Hæc mihi risum paulo solutiorem excutiebant. Sciebam enim omnia comminisci, & quam ob causam id factitabat, non video. Quid tuum? ineptum esset ineptias ineptissimi referre. Cęteri amici qui agunt apud ædem Franciscanam, feliciter habent, tibiq; Salutem plurimam dicunt. Ego Nicolae optime in præsentiarum Christi beneficio recte valeo, expectoq; magna cum voluptate literas tuas accipere. Quęreres qua nam Urbis in vicinia degam? Scito me ex Idibus Februarijs nactum aulam satis commodam, locationis oneris immunem in Collegio diui Antonij, ibiq; dego vna cum plurimis Commilitonibus, seorsum tamen alius ab alio, & nolim tibi persuadeas, quicquam nobis aliud erogari, præter vacuam domum nihil habemus. incidimus in perdita vndecunque atque auarissima tempora, aiunt olim quot mensibus consueuisse abinde pecuniam elargiri. Sed paucis ab hinc annis eo malignitatis res cecidit eo miseriarum deuentum est, vt fraudati toto ære per nosmet ipsos nobis sumptus sumministrare cogamur. Miseret me nostrorum temporum auaritię, ac etiam pudet. Tu interea me rerum omnium admoneto, si rem gratum mihi facere desideras. Etenim non te fugere debet quantopere tui sim studiosus, atque amantissimus, semperque prę cęteris ob doctrinam non vulgarem sanctissimosque mores obseruauerim. Literæ tuæ vehemens desiderium patrię, necnon amicorum, quo teneor vsque ad reprehensionem leuabũt. Et vale. Magnificisq; fratribus Theseoq; tuo ac etiam meo, nec-

non notis omnibus quibus cum fuerint familiaritatis iura vel leuibus quæsita rationibus qua soles diligentia illa tua me commendato patriæq; suauissimæ qua nihil est antiquius ac ciuium omnium. vsui me totum offerre memineris. Aduersarios si qui sunt, semper exceptos velim. Quãuis ego quantum in me est, infenso animo neminem insector, neminem odi. Ex quo ad hanc me expeditionem ac militiam disposuerim, exui ineptias omnis quas per adulescentiam nescio quomodo ni fallor, ineptire licebat, renunciaui inimicitiarum acerbitati statim atq; me admisit totius pacis auctor sanctissima legum Scientia, atq; ad te mi Nicolae longe alius ac nouus redibo, discordiæ hostis, concordiæ propugnator acerrimus. Si volueris tamen singula rimari, atq; perpendere, nunq̃ profecto dixisse me aliquid aut fecisse inuenies, quod animi leuitatẽ ostenderet, quod contemnendum, ac reprehendendum proptereaq; pœnitendum foret. Semper pro patria, pro cõsanguineis, pro amicis, pro veritate tandem ipsa pugnauimus, ac in inuidiam iniquorũ incidimus, neminem vnq̃ prouocauimus, lacessiti prouidimus in charorũ opinionis ac decoris defensionem. Vtcũq; sciant omnes nõ me soli natum, vt ad Architam Tarentinum scripsit Plato, sed etiam cõmodo existimationiq; tuendę necessariorum: meq; vel vnum per Ciceronem defendam contra quospiam, qui me fortassis asserant iniurium, ac contumeliosum. Eum esse inquit ille virum bonũ, qui prosit quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus iniuria. Sit satis nunq̃ excessisse modum, nunq̃ quicq̃ acerbius q̃ decuisset, egisse. Vtile est, ac necessarium improborum arrogantiam compescere, nec bonos contemni sinere. Iterum vale, & Salue. Patauij ex Collegio Antoniano. VII. Calendas Iunij. M. D. XXXIIII.

Ianus Thesęus Casoperus M. Antonio
Magno suo. S. P. D.

SAlue Magne literarum delitię superioribus diebus Bernardino Susannę Crotoniatę dedi epistolam ad te deferendam, ignoro an allata fuerit. Sed qum suam post digressionem dialogorum libellus, qui Cicero relegatus inscribitur, idemq; reuocatus publicum accepisset, illum ad te mitto. Offendes innocentissimũ Oratorem crudeliter lacereq; confossum, eundemq; paulopost ex solido pristinae sanitati restitutum. Tanta est tempestate nostra hominum impudentia dicam, potius an insania ac furor: vt ne patrię parenti quidem, latinæq; eloquentię facile principi pepercerit, atq; ex Cygno coruum effecerit indita causa. Sed assertores pręsto erunt, tantiq; viri existimationem labefieri non patientur. Argumento est probitatem ac eruditionem apud inuidos maleuolentesq; homines non multum esse securam. Vale mi Magne feliciter, & si egregie valere desideras per torrentissimos æstus qui & in Patauij frigidissimum plęrunq; aera inuaserunt, tędio ac fatigationi renunciato. Iulium atq; Sextilem, quibus gens mortalium in morbos vel periculosissimos incidere consueuit, apud Magni tui fortunata pomaria ac perspicuos salientesq; riuos vacuus omni cura ac perturbatione transigito, sed cum lepidioribus Musis tuis, sed cum phębo paulo remissiore, nam sic & ingenium excoles, & genium. Venerem tamen ipsam etiam honestissimam licet accedat omni gratiarum choro stipata (vt cum Apuleio loquar) & toto cupidinum populo comitata, & baltheo suo cincta, Cinnama fragrans, & Balsama rorans (si verba nostra apud te vim habent vllam) longe abigito, atq; abdi-

cato. Vidi etenim atque audiui sexcentos perniciosam lethalemque ęgrotationem contraxisse, quia his ipsis diebus a Syrenum complexibus non temperauerunt. Vale iterum. & si quando reculis meis vel opera indigneris, minime parcito, vtere pro iure amicitiæ nostrę ac necessitudinis, etiam qum senseris occupatum, senties autem fere semper, nullum enim pro virili erga te officij genus omittam. Scis sicuti in te obseruando, nemini vnquam concesserim, propterea que de mea quæ semper fuit propensior voluntate nec tantillum quidem debet subdubitare. Legum studia quibus incumbo humaniori eruditione (pace literatorum loquor, ac tua præsertim mi Magne bona venia) excellentiora, atque (vt sic dixerim) longe regaliora adeo me iuuant, adeo alunt, adeo animant, vt si scribere vellem verba sint defutura. In horas ex lectione iurisconsultorum mihi videor prudentior, sanctior, atque honorabilior euasisse, & quod neque eloquentium oratorum, omnisque historicorum ac poetarum classis illa pręstabat, Bartolus vnus vel abunde mihi pollicetur. In quo noctium mearum meliorem partem vigilo, & dies ferme integros sudo. nullum remitto tempus, nec habitudinem meam alioqui infirmusculam, nec me ipsum tandem respicio, tanta incessit animo libido iura noscendi. Ipse Dei opt. Max. benignitate nunc commode valeo, licet proximis diebus qum Christiana militia Antonio diuo patauinorum patrono ac numini præsentissimo rem diuinam facit, per aliquot dies ægre habuerim, atque ita ægre, vt pro sanitate recuperanda fuerit opus medici monitu inuitum ac reluctantem confugere ad pharmaca, quæ antehac fueram maxime abominatus, tantumque languido beneficium contulerunt, vt statim (quod vix crederes) fuerim morbo leuatus. Iterum vale, &

Salue, & principis dextram meo nomine non dedignaberis osculari, auliasq; Salutem ascribas. Pataui.XIII.Calendas Iulias. M. D. XXXIIII.

Ianus Theseus Casoperus Alexandro Maio Legum doctori compatri suo. S. D.

SVbtristis eram domi cũ veteribus amicis nostris, ad quos in ægritudine confugio. Etenim incerto auctore vulgatum erat Patauij, In Calabriam Turcarum millia septem circiter inuasisse, qum Donatus guarinus noster iuuenis profecto doctus & nobilis fores quas clauseram, pultauit, in perturbationibus etenim ægre queo lucem aspicere, insperatoq; ostendit literas tuas, accepi hilaris. Resignatæ illæ bis terq; lectæ mæstitiam omnem expectorarunt, quinetiam solamen voluptatemq; mihi mirificam attulerunt. Siquidem ex illis accepi tecum feliciter agi, remq; tuam prospere cessisse, q de Classe Turcaica nulla prorsus mentio fieret, quæ in vulgum rumor effuderat inq; animum induxeram, meras nugas ac gerris siculis (quod aiunt) vaniora dubio procul existimaui. Persuasi mihi quicquid fuisset istbic periculorum abs te silentio præteriri non debuisse. Scribis alias ad me scripsisse, scire debes nil vnq̃ literarum prẹter has allatũ. Doleo duplici de causa, & quia interceptẹ fuerunt, & forsan a quibus minime vellem, & quia maturius non contigit animum exhilarari. Perhortaris me ad studia, faciam quod iubes, enixissimeq; dabo operam virgine auspice vt celerius q̃ fortasse destinaueram, ad metã deueniam, quo te amplecti tecumq; semper esse mihi liceat. Quod polliceris non vereor doctissime compater, non

vereor, quin ope atq; opera tua isthic ex sententia omnia mihi succedant. longiore oratione non vtor. Si quidem nosti mea omnia, animiq; voluntatem iandudum inspexisti. quod magistratus Sanctipetrinas ac Salentinorum tibi fuerit a loci principe demandatus, rem laudo, tibiq; gratulor, placet maximo opere cõditio muneris, teq; ad id exhortor, ac pene pro iure necessitudinis impello. nolito omittere occasionem oblatam ostendendi vires, & eruditionis & ingenij tui. hac dabitur via expedita profecto, ac cõpendiaria, qua minimo negocio ad altiora poteris euadere. Monuisti per literas vt commatris existimationi fauerẽ. Expertus credo fuisti nec sibi me modo vllo nec tibi deesse posse, tuiq; decoris atq; mei parem rationẽ habere. Proinde tibi persuadere potes & Patauij & vbicũq; agam habere fratrem optimum. Ego te Charissime Compater ex corde ardeo videre, & non tam per Deum immortalem me tenet Patrię ac parentum germanorumq; desiderium, quam tecũ iungere dextram ac colloqui. Succurrunt candida illa verba tua mellitissimo sapore condita, succurrunt literariæ inter edendum quæstiones exortę, quæ plurimę erant voluptati, ac vsui. Succurrunt Sales omnis ac citra rusticitatem vllam petulantiam ue vrbanitas tandem illa tua iucundissima, quæ animum mœrore leuabat. Helene post tuum hinc discessum parum bene habet, raro domo egreditur, mœstissimã semper inuenies, Quid tuum? proteruiæ suę pœnas luit, agnosceres, adeo macie extenuata est, si hic degeres, non esset cur illam non modo non deperires, sed ne respicere quidem possis, ac debeas. Vale amicorum candidissime, frater q; optime, meq; ama, vt soles, literasq; sępissime dato, si volueris hilaritati meę cõsulere, non facile crederes quantopere mihi desiderentur. Iterum vale, & tuis omnibus Lucretioq; inprimis viro hu-

manissimo nomine meo Salutem dicas. Patauij ex Antoniano Collegio Octauo Idus Augusti. M. D. XXXIIII.

Ianus Theseus Casoperius
Donato Guarino.
S. P. D.

EXpectaui literas tuas per integrum mensem, Tu autem dum scripsisse priorem pœnitet, culpandum tibi silentium indixisti. Legimus Cęsarem ad Vergilium literas dedisse, & tu tantopere scribere dedignaris? Superbus sane ac crudelis, qui me tandiu suspensum ac sollicitum habuisti, prouocauissem te fateor ad scribendum, si argumentum mihi fuisset oblatum. Sed tu cessationem excusare non debes, nec potes. quandoquidem abunde tibi (vt scio) scribendi materia sumministrabatur. poteras mihi significare si quid noui ex Calabria fuisset allatum, cuius plusquam satis est, me auidissimum nosti. poteras de re tua priuata breuibus me certiorem facere. Sed esto quod nulla prorsus scribendi materia concedebatur, saltem hæc minime deerat. Te scilicet vna cum nostratibus omnibus beneualere. & si parum tibi videbatur, expetebasque longius argumentum fortasse solitus latissime spaciari. opportunus campus erat ante oculos, & idem longe patentissimus, per epistolam mihi rei quam noueris, euentum manifestare. Ego apud hospitem huc eundemque; amicissimum splendidum profecto, atque illustri loco natum, ad quē precibus adductus animi relaxandi gratia per æstatem diuerti, & cum commodo & cum dignitate dego, enixissimeque; studeo mi Guarine, & quod impossibile per sextilem forsan existimas validius ac intensius quam elapsa hyeme ac vllo

vnq̃ tempore consueuerim. Causa est in promptu quod omnia mihi addegendam vitam Scholasticam literatamq; necessaria suppeditantur, nihilq; est impedimento, quod posset bene cõstitutum ac procliuem ad leges animum interturbare, atq; alio auocare. & vt omnia scias in præsentiarum præ manibus habeo re famaq; difficilem obscuramq; legem Frater a fratre de conditione indebiti. Hic certe erit vbi ingenioli neruos omnis intendam. Nunq̃ e laribus egredior, nisi dominicis diebus, & tunc tardiuscule quidem, & ferme pauloante prãdium, nam ante lucana matutinasq; horas vt commodiores studijs impendo, accedo ad ædem diuæ Iustinæ, quę & apud hosce municipes mirificę est venerationi. etenim tunc temporis insistendum esse diuinis necessarium arbitror, & arbitratur quicunq; christianum virum (vt par est) agere cupit. Excipio etiam qum pomeridianas ac vespertinas per proximum pomarium cottidie deambulo deambulatiunculas. Omnium quæ Patauij hactenus facta sunt, incertus sum, & nisi nuper allatæ fuissent literę Antoniani cuiusdam quo cum mihi perq; familiaris est amicitia, nec adhuc quidem audiuissem Phariensem Reip. scholasticę moderatorem, quã ob causam nescio in carceribus haberi, sibiq; successisse germanũ splendididissimum opulentissimumq;. doleo, nã (vt scis) eo sum amicissime vsus. Proindeq; si qua prodesse possem, prę stare cuperem charissimo homini officium, atq; operam meã. Si quid de patria audiuisti me certiorem facere non moleste feras, meoq; nomine te conferes ad Collegium Antonianum, atq; Agnetem vetulam, quæ prope aulam meam degit, mihiq; ministrabat, nisi mauis scholasticorum quempiam, interrogabis sedulo, an quid post meam isthinc profectionem literarum alicunde fuerit allatum? Et si forte (quod mihi per-

suadere possum) inuenies, quàm citissime mittere curabis. Thomisium vehementissimo affectu salutabis, literasque hasce ad se etiam missas arbitretur, nec sinistri quidpiam suspicetur, quod recentiorem amicitiam praeposuerim, vetustiorem contra Ciceronianum praeceptum, posthabuerim. Franciscum iuuenem ingeniosum ac facilem mea causa exosculaberis, atque arctissime amplecteris. De Paulo nostro Franciscanae Relligionis delitijs mentionem non facio, quia audiui non esse Patauij, qum fuerit reuersus me illi caeterisque amicis strenue commendabis. Vale.

Ianus Theseus Casoperus Ambroni arcadi. S. D.

TOtus eram cum Bartolo In. l. Ita stipulatus de verb. ob. qum lepidas ac nitidas literas tuas accepi, in quibus tantum ingenij tantum eruditionis inueni, quantum merito inuenire debebam. Etenim is es quo cum bonae literae vel a puero dulcissimam consuetudinem habuerunt, nullaque tibi tam negociosa dies illuxit, qua non pulchrum ac memoria dignum aliquod Ciceronianum praesertim lectites, memoriaeque sacrario commendes. Qua re factum est vt nihil vnquam loquare aut scribas, quod non sit ex parte omni Ciceronis eloquentia refertum. Itaque epistolicum characterem ac stilum istum tuum & laudo & admiror. Sed quod de nobis honorificentius quàm deceat, opineris, ac perfricta (quod ausim dicere) fronte loquaris eque musca (vt aiunt) facias elephantum, nec laudo plane, nec assentio. Non laudo, quia vanus es, & ipse vanos semper abhorrui, semper hostiliter insectatus sum, neglexi tandem, ac vituperaui. Non assentio itidem,

quia tenuitatis meæ sum rite conscius, meq; ipsum perbelle noui. q si ita me fortasse credideris, beneuolentiæ qua me complecteris tribuendum puto, si effinxeris, ingenij acumini, quod vt Aphrica nouæ rei aliquid semper excogitat, affertq; Dij boni quo gaudio qua voluptate literę tuę continuo me repleuerunt, non tam profecto q nauim ex Calabria Venetias appulisse cognoui, vnde literarum cumulus, & (quod te vret) pecunia in numerato largissima, nisi auspicia ac hariolorum consulta dicam verius an nugamenta fefellerunt, nobis afferetur. Sed quia incolumem hilarem & velis nolis nummatum, ac totum argenteum atq; aureum remeasse Antonianum nostrum intelligo, cuius videndi atq; amplexandi studio propediem me Patauij expectato. Possem tamen de ipso non iniuria conqueri, qui qum per sex ferme menses procul a Theseo suo apud Insubres egerit, nec vnas quidem literas, imo nec vnam literam mittere dignatus est, & qum tandem tantopere expectatus redierit Patauium, nec saltem suæ reuersionis admonere curauit. Homo hercle inofficiosus inhumanus ac durus, ne dicam malignus? qui me absens desiderio sui atq; itidem præsens miris modis sollicitat, angit, & male habet. Illum tamen nomine meo inuitum licet & reluctantem toto pectore amplexare, ac millena millia oscula dato. Ambrosium virum emunctæ naris & Aristotelicæ philosophiæ ornamentum saluere iubeo, Mario iuueni. In primis charo, iuueni inquam gratiarum pleno, pleno leporum omnium, ac suauitatum mellitissimarũ, qui plurimus est in ore, ac corde, salutem q; cumulatissimam ascribas. Tu deuincies me perpetuo beneficio, si curabis certiorem fieri, quid literarum, quid viatici ex patria fuerit allatum, meq; protinus admonebis. Epistolas

tuas vel ex hoc vno efflagito, quod maturius quam ipse fortasse sperabas, & ego debebam respondeo. Addo etiam quod me tum maxime delectant, iuuant, reficiunt, vt concipere animo vix possis. vt sunt amabiles? vt sunt doctæ? vt sunt tandem Ciceronianę? quod laudabilius dicam non inuenio, nec tu profecto debes exigere. Vale.

Ianus Theseus Casoperus
Ambroni arcadi.
S. D.

QVod me immitem identidem tuis in literis appellas modestius quam ipse fortasse tulisse, profecto tuli. Sed ingrati animi probro proscindi ac differri nihil moror. Etenim vnico conuicio labem omnem, turpitudinem omnem complexus es, quando enim in me beneficium collatum est vllum, quod non auctiori beneficentia remunerarem, atque rependerem? vel si gratiam referre non potuerim, saltem habuerim, semperq; sim habiturus. Nunquam pecuniam me hercule mutuo suscepi, quam trientario fęnore, aut semissibus vsuris reddiderim, Semper in ciuile a me fęnus, iniquum, ac longe grauissimum exactum est. Non probo sic cito te rectum bonumq; euertere, sic ex libidine in amicorum contumelias diuagari, sic officij totius obliuisci, vt Theseum tuum etiam probris incæssere non erubesceres, quæ eo grauius toleranda fuerunt, quo magis ex officio plæraque fecisse recordor. Ingratum vocitas quia binis literis, ternas non addiderim, possem in te cumulatius merito conuicium retorquere. Si essem vt ipse es immemor amicitiæ, quod nec literas geminaueris. Sed maledictis velitandum esse non cen-

ſeo. Sæpius enim audiui a ſenioribus, ſæpius a præceptoribus, atque a patre præſertim viro optimo didici, ſæpius legi, indecoram Viro nobili, viro literato, viro magnanimo, ac oppido quam deformem eſſe vindictam, nemini tandem conuenire. & vel ex hoc vno me mitem eſſe neceſſario fateri cogens. falſoque dixiſſe immitem ab aliud agente conuinceris. Nam qum opportunam vlciſcendi anſam haberem, de induſtria illam omitto proptereaq; non eſt cur immitem poſſis ac debeas vlterius nominare: Cur non reſpondes: Loquere Ambro. ſcis Amyclas tacendo periiſſe. Adhuc in ſilentio perſeueras. Agam ego igitur partes tuas. Veritas ipſa profecto reſponſum non habet. Deſinas armatos inermis poſthac prouocare, nam parum tutum eſt illos lapidum certamen intrare, quibus ſit (vt inquiunt) galea vitrea. Petis meas literas incompoſitas illas quidem, atque ita petis, vt efflagitare videaris, quo nam id iure tibi vendices non video feriatus, & taciturnus. Vociferationibus prope cottidianis anxium obtundis, vt ad te epiſtolas darem, ac ſi ex ſtipulationum mihi materia fideliter percipienda, qua neſcio an iura ciuilia aliud habeant magis arduum, ſat ocij ſupereſſet. ac ſi me non diſtringerent, totumq; haberent interpretamenta doctorum, rationemq; ſtudiorum imperioſiſſime exactiſſimeq; cottidie non exigerent. Aſtus Camelli quo cum Leoninam coiuiſti ſocietatem, fuit mihi effuſiſſimæ cachinnationi, quia te hominem natu grandiorem ac prope ſenem (ridere potes in tuo tanto malo) puerili facilitate lapſum eſſe legebam, nec eſt quod in integram reſtitutionis auxilium implorare ſperes, qum per ætatem non liceat. Nec eſt quod conquerare blandiore oratione, locupletiſſimiſque pollicitis inductum ac circumſcriptum. Etenim noſſe

debebas ingenium hominis esse promittere largiter, sed ne teruncium quidem impertire, proptereaq; iure optimo plecteris, si pro Thesauro carbones. Et quis adeo Agelastus, vt si Asellum deuorantem Carduos conspicetur, non rideat? dicatq; illud Crassi, Similes habent labra lactucas. Quod petis in extremis literis curabo diligenter, nec si antea parum curauerim, negligentię per deum potes ascribere, fuit enim ille apud paganos nescio quos, & adhuc est, qum redierit, nauabo operam, vt de iuuene vtriq; nostrum amicissimo possem benemereri, præsertim qum id sine meo dispendio fiat. Et si succedet, te statim per literas admonebo. Interea vale, & Iacobo iuueni docto & officioso Salutem dicito, Ianumq; sollicitabis vt ad me literas a patre missas omni cũ festinantia mittat. Scit enim quanto desiderio ardeam vel absens cum charissimo genitore colloqui. Iterum vale.

Ianus Theseus Casoperus Iano
Therapo Theolo. S. D.

NOn est q̃ de me iure possis conqueri, qum binas per Deum ad te literas miserim, nec si illas recepisti minus, mihi vitio dari debet. Sat est partes meas nauiter egisse. Sed doleo, vt fert animus non posse tibi gratificeri. Superest te oratum velle, vt quas penes te habes reliquas literas ocyssime mittas, nisi mauis me Cœlum clamoribus terramq; confundere, Et si de naui nuncium aliquod accepisti rescribe mihi. Iocari per literas non licet, siquidem scribente patre compertum habeo, patriam sat multo ære alieno & vsurario quidem oppressam, dum militibus hispanis hospitia parare, stipendiaq; iniusta exoluere cogitur. Vale.

Ianus Theseus Casoperus Henrico Colo anglo. S. P. D.

POstq̃ Ambro iste tuus nobiscum parum amice se gerit, dum & immittem nominat, & ingratum, & Ianus me inuito ac gemente literas tādiu expectatus, quarum desiderio tabesco, ac prope insanio tot dies secum habere non erubescit, cum vtroq; mihi gerendum bellum esse decreui. Vtrūq; nisi resipiscat, ad contumelias vsq; licet inuitus insectabor, Non habebo rationem vllam, q̄ Ambro societatis iura mecum communia habeat, nec q̄ Ianus philosophiæ sacrisq; literis tam vehementer incumbat, q̄ apprime sit eruditus, q̄ Calaber, q̄ Psychronæus, q̄ amicissimus. In te mi Henrice atq; itidem Paulum nostrum Virum Sapientem virum optimum, eundemq; comem & salibus exuberantem beneuolentiam omnem transferam, vos tantum amplectar, & adamabo. Nulla mihi erit cum licentiosis posthac & crudelibus amicitia, nulla consuetudo, nullum deniq; participium. Te mi Henrice ob eam præsertim causam fraterna diligam charitate, q̄ Vir es grauis, constans, literis literatis imbutus, legumq; peritus, q̄ mihi tecum non leuis notitia intercessit, ex quo sub Mariani Sozini grauissimi præceptoris disciplina militare cępi, q̄ tandem es ratus amicus, & bene moratus. Paulum colam quia studiosissimus est, quia doctus, iuxtaq; eloquens, quia aperti oris, nihilq; soleat dissimulare, quia facetiarum ac charitum plenus, quia postremo est vere Calaber, Quo circa si ex parte omni in amore mihi respondere desideratis, quod fore spero, & Ambronem & Ianum homines æqui totius euersores, homines impudentes exigite, atq; abdicate, laribusq; vestris expel-

lite, nullaque vobiscum erit cum confidentissimis amicitia, Iamque omnino illiberalis mi Henrice claustrum irrumpe Paulo nostro comitatus, & illum in vincula conijce, & iusiurandū atque etiam chirographum exigito, quo fateatur, iure in compedibus detineri, literasque nostras auferto, & ad me quam primum mittito: & cura valetudinem.

Ianus Theseus Casoperus Iano
Therapo Theolo.
S. D.

ITa ne tibi videor mi Iane stolidus ac mentis impos, vt nullo negocio mihi dare verba persuasum habeas? falleris hercule, si talem de me opinionem concepisti. Sum enim vel ipso lynceo plerunq; perspicacior, & vt Argus oculeus totus. Nudius Tertius indixi tibi bellum, non iniuria profecto, quando charissimorum Spoletinorum literas dulcissimas illas quidem procrastinasti, & nunc iterum indico, nisi Cosmi recta miseris, misi inquies. non credam, vel si Sacramenti religione affirmares. Scio etenim te iocis adhuc modum non posuisse. Caue Iane ex gelasino (vt Plautino dixerim verbo) fias catagelasinus. Ego qum maxime te insector tum maxime amo, licet ipse (quantum conijcere possum) longe aliter opineris. Nouisti credo quāta te semper fuerim charitate prosecutus, & de me tamen ipse ita cōquereris, vt sæpius profecto mihi bilem concitaueris. Vale.

Ianus Theseus Casoperus Cæsari plasterano iurisconsulto.
S. P. D.

QVm scribendi opportunitas offerretur, te certiorem facio, boni Dei benignitate beneualere, vehementissimoq; tui desiderio teneri. Legibus pro virili parte indulgeo, quibus a puero non incubuisse sera pœnitentia affi cior, nihil enim est in literis iudicio meo scitu dignum, ac remotum, quod acutissimi vir ingenij Papinianus tuus, Paulus & cæteri scriptis non mandauerint. Proptereaq; neminem profecto doctum arbitror, qui ciuilibus his disciplinis egregie non fuerit imbutus. Gratulor tibi hercle, qui tantum in iuris scientia progressus fueris, tantum profeceris, vt vel maiestatis reus aut parricida te postulante nullum sit capitis discrimen formidaturus, & ego rite noui, quot reos a ferali peste defenderis, quot famam strenue conseruaueris. proindeq; debeo tibi, quia iure optimo debere debeo. debeo sane, quia iurisconsultissimus es, & quis adeo Ciuilitatis expers, vt non sit viro doctissimo debiturus? Debeo itidē quia patriam meā, meq; ipsum alacriter defendisti, & tantum debeo, vt nulla loci intercapedine, nulla temporum iniquitate tanti sim futurus immemor beneficij. Quamobrem ad omnia me vbiq; gentium & digna & indigna sis promptissimum habiturus. Vale, & epistolam Laconicam æquiconsule. A literis enim scribendis aliquanto laxiore stilo me legum studia magni negocij plena auocant. meoq; nomine Saladino & Leonardo affinibus Salutem dicas, meq; ama. Patauij Pridie Calendas Octobris Anno a Natali Christiano. M. D. XXXIIII.

IANI THESEI CASOPERI PSY-CHRONÆI ORATIO HABITA PSYCHRO ANNO A CHRI STIANA SALVTE. M. D. XXVII.

APVD Antiquos ſicuti a patribus noſtris acce-pimus optime Princeps Galæote Carrafa id mo-ris obſeruabatur, vt eloquentiæ ſtudioſi clariſſi-morum hominum laudes encomijs celebrarent. Tali ego ductuss exemplo, id vltro muneris obire conſtitui, hoc conſilio vt ampliſſimas animi tui dotes pulcherimaſq; vir tutes Andreæ Carrafæ patrui tui quo nemo in terris vixit Illuſtrior qualicũq; præconio enarrarem, nec per longam orationis ſeriem diuagabor, qum dies me deficeret, & fa-cultati noſtræ literariæ ſi modo quid eſt, ipſe autem intel-ligo q̃ ſit modicum ac prope nihil minime cõueniret. & nõ quia exiſtimationis gloriæq; tuæ me anguſti & ieiuni oris indigeas pręcone, laudatoreq; qum ab omnibus de ea abun-de ſit explorate perceptum in concionem aſcendi, Sed vt mirificam obſeruantiam ſumma cum fidelitate qua te comple ctor, valeam aliquatenus aperire. Nec ſum neſcius quantum negocij ſuſceperim, quantum oneris ſubierim, adoleſcentiæ profecto noſtræ longe impar, in tanto ſcilicet egregiorum virorum Theatro atq; Corona velle dicere. Quo circa ve-reor ne inſipidus, ineptus aut pene ruſticus atq; infans con-cionator appaream. Quis etenim cottidiano licet vſu dicen-di eſſet exercitatus, in præſentia tua Princeps Illuſtriſſ. totiq;

Clarissimorum virorum ornate dicere valeret? Qua quidẽ in re culpam deprecari malo quam culpa vacare. Sed ne vos per longa exorsa retardem ad narrationis locos deueniam. In sinu Campano loci ubertate atq; amœnitate conspicua Vrbs Neapolis est, a chaladensibus condita parthenopea tumulo Sirenis appellata. hac ex vrbe plures quam ex acerno equo illo Troiano armati descenderint Carrafę familię principes prodierunt. quibus omnibus & rei & temporis exigente conditione silentio præteritis, Vnus tamen Andreas viua virtutum imago, viriq; sapiẽtis exẽplar, sæculiq; nostri sidus fulgentissimum non est mihi modis omnibus omittendus. Hic dum in humanis ageret (nuperrime enim non sine maxima totius præsertim Neapolitani calamitate Regni, egit animam) tanquam mortale numen humanusq; Deus venerabatur. Hic habito iuuentutis & senectutis nullo discrimine sicuti Delphici Apollinis Oraculum consulebatur. Ita vt eius domus quas Lucullum imitatus honestissimo sumptu magnificentissimas æditissimo in loco vrbe super erexerat, non minori ciuium exterorumq; multitudine quam Cæsaris palatium frequentarentur. Tantum erat in eo rationis, Tantum consilij. Tantum fidei, Vt qum Diuus Cæsar semperq; Augustus cõsilia summis de rebus iniret, sententiæ suæ semper accederet, Summamq; Regni in rerum articulo præsertim penes eum constitueret. Qui Galliarum Christianissimo Regi cũ Carolo Cæsare ingentia bella gerenti, nouosq; tumultus identidem concitanti eo ingenio, ea prudentia, ea animi fortitudine, his viribus aduersabatur vt maiestatis Imperatoriæ propugnaculum, & Hispanorum murus esse videretur. Hic erat ille de quo inuictissimus Imperator quod Antimachum de Platone dixisse ferunt, dicere consueuerat. Andreas mihi

vnus instar est omnium. Quid loquar de virtutibus quas non natura sed studio comparauit? Quid de luculenta doctrina? In grammatica par fuit Aristarcho, Palæmoniq́;. In siderali scientia similis Athlanti. In philosophia quæ a Cicerone vitæ dux nuncupatur, adeo claruit, adeo excelluit, vt Socrati Calculis omnium fuerit æquiparandus. In Geometria adeo consultissimus, vt Eucliden Archimedenq́; Syracusanum a Marco Marcello Geometram Briareum appellatum facile superauerit. Qui cum ætate prægrandi confectus, depositum restituere moneretur, cumq́; decretorius mortis dies qui grauissimus est omnibus, venisset ægrotationis mole prostrato corpore, peritissimorum artis Apollineæ cessantibus medellis hilari animo, intrepido vultu, forti pectore, ea magnanimitate, eo cordis robore, supremum mortis dolorem patiebatur, vt ne dum terribilem fati horam non pertimesceret, sed ipse morti metum incutere videretur. & vt dixit Apostolus dissolui cuperet, & esse cum Christo. Etenim non latebat fortissimum principem fati necessitatem nequaq́ esse formidandam, nisi his qui moribus perditis essent, aut qui obductam nubilo prauitatis hæreticę mentem haberent. Ipse vero qui a teneris annis dignam Cœlo vitam vixit in sæculo, quiq́; de diuino q́ optime numine sentiebat, quiq́; philosophiæ (quam mortis meditationem appellant) operam nauando a corpore seuocauerat animum, cottidieq́ pene mori consueuerat, legeratq́ apud Egesipum, ingrati esse diutius viuere velle, q́ voluerit ipse qui vitam donauerit, hilare, fortiter, & bene diem obire didicerat. Cumq́; spiritum exhalasset tandem, vt Brutus expugnatæ pudicitiæ vindicator acerrimus, & Romanæ libertatis assertor, publice defletus est, non q́ ipsi quo cum

tam candide tam laudabiliter actum erat in vita, proindeq; beatitudinis æthernitate perfruitur, aliquid post obitum euenire posse mali existimatum sit, sed viuorum gratia, qui tanti principis consilio defensioneq́; orbantur. Eius funus mirabili pompa honestatum plebeij omnes ad vnum atq; patricij incurabili ægritudinis vulnere corde percusso, tristi vultu, lachrymosis oculis, queribunda voce, atrato corpore prosecuti sunt. Quis etenim ingenium tam difficile, tamq́; durum, Quis animum e secretiori philosophiæ adyto manantibus rationibus ita instructum haberet? Quis deniq́; tam ferreus, vt tanti principis interitu non tristaretur. Habebit semper, habebit Respublica Christiana religiosum, Calamitosum atrum illum diem, illum diem inquam, quo prudentissimum Andream Serenissimi Cæsaris vicem gerentem de medio mors surripuit. Andreę iacturam sicuti patre viduata Neapolis grauissime patitur, ingemit, luget. Andream omnes Imperio suo suppositi flebiliter deplorarunt. & præsertim nos Psychronæi, qui quicquid auctoritatis habemus, acceptum ei referimus, per multos dies mirum in modum desiderauimus, & etiam nunc profecto desideraremus. nisi tu Illustriss. Galeote eius ex fratre Nepos e suprema sui voluntate, & ex legitima agnationis successione patriæ nostræ Imperio potireris. Quæ quidem res vt iuris erat, Vtq; in te beneuolentiæ summæ necessitudo postulabat, ab Augustissimo Cæsarei Senatus collegio fuit rite suffragijs omnium comprobata. Id vbi pro comperto habuimus, siccatis lachrymis, & ex tristitia ad hilaritatem animo conuerso, nouo tamen non studentes Imperio titulis tuis (quibus vt plæriq; omnes non intumescis) congratulantes ea lętitia affecti sumus, vt ægritudo penitus euanesceret, &

infortunium bilararetur, illamq; diem omnium quæ nobis illuxerunt faustissimam candido calculo numerandã esse censuimus. Quis etenim (si modo cum hominibus aliquod habeat commercium) præclaras animi tui dotes ignorat? Qui vt ab ouo (quod aiunt) incipiam, clarissimis genitus parentibus, splendori celebritatiq; natalium non acquiescens, quod primum nobilitatis genus vocauit philosophorum Deus ille Plato, propriam voluisti tibi parare nobilitatem. Nec immerito, nam genus & proauos & quæ non fecimus ipsi Ouidianus Vlysses vix ea nostra vocat. Itaq; a puero totos animi intendens neruos, omniq; nisu sicuti Alcides spreta corporis voluptate, quam qui superat durissimum subijcat aduersarium, omnibusq; vitiorum omnium contemptis illecebris, quibus puerorum ætatula diffluere consueuit, egregiam indolem & futuræ probitatis specimen pr ę te ferens, ita vt quiddam arduum egregiumq; pollicereris, vni virtuti te dedidisti omnino, ac mancipasti. Itaq; adulescentiã in cuius lubrico (vt inquit Seneca) qui non cadit saltem titubat, ea animi moderatione, ea temperantia corporis excessisti, vt iuuenum omnium tempestate illa modestissimus officiosissimusq; habereris, & esses. Ætatemq; hactenus omnem non modo vitiorum immunem, sed ne vitiorum quidem suspitione vlla transegisti, quadragesimumq; circiter annum agens ex patrui concessione tituli amplissimi dignitatem, & huiusce vrbis (vt dixi) dominicam potestatem agnouisti. Quod certe non absq; Opt. Max. Dei euenit voluntate. Cui enim hominum cura q̃ tibi potuit conuenientius demandari? qui generis nobilitate, moribusq; circunspectis insignis ab omnibus amaris, ab omnibus obseruaris. Et imperatorio etiam culmine dignus esse censeris. De cuius plurimis virtutibus

clementiam atq; misericordiam a Vopisco primam Imperatorum dotem appellatam laudant omnes in primis, suspiciunt, & admirantur. Ea tamen eatenus vti consueuisti, quatenus contemptibilis non fieres. Non enim (quod admonet Augustinus) adeo clementissimus es, vt regendi perdas auctoritatem. Verum iuris æquitate seruata, ne ad inferendam iniuriam alacriores homines efficiantur, facinorosorum admissa multas, ac vindicas. Quid principi populorum habenas moderanti congruentius? Quid quod magis alliciat homines ipsa clementia? quæ quãcunq; domum intrauerit beatam reddit. Quid nobis patres suo sub Imperio constitutis conducibilius & fructuosius esse potest? Quid iucundius & optatius euenire? Quid quod magis sit e nostra Repub. q̃ pientissimi Rectoris iustitia gubernari? qui ea sapientia prẹditus est, ea innocentia decoratus, ea quasi supra hominem prudentia circũspectus, absq; qua nullas esse virtutes Socrates arbitrabatur vt æuo nostro sui similem inuenire difficile sit. Qui Euangelicẹ Apostolicæq; doctrinæ. Ita est obseruantissimus, ita catholicẹ fidei est studiosissimus, vt omni hẹresios discusso nubilo, omnibusq; peruersẹ superstitionis erroribus procul abactis inter inuictissimos Sacrosanctæ fidei bellatores facile sit annumerandus. Qui diu noctuq; citra tamen superstitionem aliquam erecto corde, poplitéq; curuato diuinis cẹrimonijs, Ita nauiter ita vigilanter assistit, vt viuens philosophico ritu mori didicerit, & inter viuos mortuus esse videretur. Nec immerito, illud etenim Euangelicum Christi Domini interiori memoriẹ suẹ Sacrario mandauit. Quid prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Non potest vlla profecto compendij causa consistere, si con-

ſtet illius interuenire diſpendium. O Principem Chriſtianiſſimum, O Principem plurima Sanctitate conſpicuum, qui in ætatis meditullio conſtitutus grauitate morum facilitate condita, exactiſſima citra auaritiæ ſordes frugalitate, ſingulari pudicitia tempeſtate noſtra principibus (abſit inuidia) omnibus longe præſtas. Sed quid vaſto ſalo noſtra Cymba ſutilis agitatur? Tuis igitur virtutibus prædicandis, quas vniuerſorum laudatorum facundiam anteire manifeſtum eſt, ſupremam manum imponam, Verum vt adulationis ſuſpitionem euitem, a qua equidem ſemper abhorrui, licet laudes tuas candidiſſime Princeps (vt vtar laude priuata) iampridem fama vulgauerit, locupletiſſimus nihilominus horum omnium maximeq; idoneus teſtis eſſe poterit, neq; mentiri me patietur Marcus Antonius Magnus miræ Vir eruditionis & ætate noſtra orator eloquentiſſimus, e cuius ore (vt de Neſtore ſcripſit Homerus) melle dulcior fluit oratio, Teſtis etiam eſſe poterit Lodouicus Angerianus Imperatorio & Pontificio iure Conſultiſſimus. Sexcentorum inſuper grauiſſimo teſtimonio vterer, niſi erubeſcerem nouorum teſtium acceſſione perinde ac per ſe inualidę integerrimorum virorum fidei derogare. Quantum igitur patres Chriſto noſtro optimo Maximo debeamus, qui nos ex animi ſententia principe donare dignatus eſt, nequaq̃ dicere poſſum. Etenim ſi continenti ſacrificio pro tanti muneris beneficentia deo gratias redderemus, incaſſum vtiq; elaboraremus, non q̃ diuina ipſa natura (vt Epicureus ſentit Lucretius) non bene pro meritis capitur, nec tangitur ira, ſed quia tantum fuit in nos hoc preterea nomine benignitatis ſuę beneficium, vt nullo vnq̃ tempore bilancis ęquilibrio par pari referre poſſimus. Vos igitur patres vos inquã

quam maxime valeo cohortor, & moneo, vt ſicuti ad hanc vſque diem diligenter inuigilaſtis, ita & in poſterum diligentius inuigiletis, ne tanto principe indigni iudicemini, & illud memoria perpetuo tenere velitis, quemadmodum conſtantia fidei (vera loquens audacter loquar) cæteros ſemper ſubditos anteiuimus. Ita vt Andreas ipſe qui paucis abhinc diebus naturę concedendo exceſſit e vita, qum ſubditorum plęrique inſania ac furore quodam ab eo deſciuiſſent, quos paulo poſt inde ditionem accepit, noſque conſtantiſſime (par vt erat) ſibi ſtuduiſſemus, quod de Fabritio olim dixerat Pyrrhus Epirotarum Rex, de nobis dicere non dubitaret. Facilius eſſe ſolem a ſuo tramite deuiare, quam Pſychronæos vnquam Ciues a rectę rationis via decedere. Sed quid fideliſſimum ſuapte natura populum cohortor, & moneo? & (vt in veteri prouerbio eſt) currentem incito? Ad te igitur ad te optime Princeps, quem vt ingenue fatear obſeruo & colo, non tam quod tuæ ſim ditioni ſubiectus, quam quod in te Clariſſimum Virtutum omnium ſplendorem intueor. Ad te inquam perorationem meam deflecto, atque abs te hoc maxime vnum ingentiſſimo affectu peto ſuppliciter, vt Ciues meos omnis, quos non minus amantiſſimos tui quam fideliſſimos eſſe cognoſces, atque ex parte aliqua hactenus (vt arbitror) cognouiſti illa tua humanitate cōplectaris, ac foueas. Ita Chriſtus dominus ſceptri tibi maioris amplitudinem, perpetuamque vitę largiatur felicitatem. Dixi.

Venetijs per Bernardinum de Vitalibus Venetum
Anno Dñi. M. D. XXXV. Menſe Septēbri
Venetiarum Inclyto Principe
Andrea Gritti.